


XXX

M. MINVCII FELICIS OCTAVIVS,

ET

CAECILII CYPRIANI

DE


VANITATE IDOLORVM

LIBER:

VTERQVE RECENSITVS ET ILLVSTRATVS

A

CHRISTOPHORO CELLARIO.





HALAE MAGDEBVRGICAE

SVMPTIBVS IO. FRIDER. ZEITLERI VIDVAE.

ANNO MDCCXXVI.



CLARISSIMO VIRO

THEODORO IANSONIO AB ALMELOVEEN,

IN ACADEMIA GELRO-ZVTPHANICA, QVAE HARDEROVICI EST, ELEGANTIORVM LITERARVM PROFESSORI CELEBERRIMO OPTIMEQVE MERENTI,

S. P. D.

CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

ITa mihi omnia contingant, vt litteræ tuæ, ex Batauis antea, nunc ex Gelrorum, quam ornas, Academia adlatæ,

maxima me ſemper voluptate adficiunt. Quod enim de Africa Plinius Secundus dixit, SEMPER ALIQVID NOVI FERRE; id ego iuſtiori ratione de Batauia olim tua cogitaueram: nunc de vicina illi Gelria, qui ingenium tuum perſpectum habeo, non poſſum etiam idem non ſperare. Meliores rationes eſſe dixi, quæ in hunc ſenſum & opinionem me inducant, quam Plinius habebat; quod is ad monſtroſas confuſiones naturarum, quum hæc ſcriberet, animum intendit; ego

ego vero ad ingeniorum pulcherrimos fœtus, quales veſtra patria adhuc innumeros profert, me reſpicere, non minus grato quam hilari animo profiteor. Quoties enim indidem abs TE, & TVI ſimilibus amicis, accipio litteras, ſemper aliquid noui in litteraria re cognoſco, quod patria veſtra, illa ferax ingeniorum terra, vel iam protulerit, vel meditetur propediem proferre: vnde cupiditas viſendi exſurgit, quia ſuperiorum pulchritudo ſpem æqualis voluptatis, quam inde percepturus ſim, non in-

certam mihi accendit. Quæ nuper te moliri ſignificaueras, & quæ nouiſſimus præ te tuliſti litteris, auide omnia exſpecto, quæ vt fortunet Deus, & facilem ſucceſſum præbeat, quo excludas partum, & in lucem communem proferas; pro neceſſitudine noſtra, tot annos mutuo probata, ex animo & ſincere precor, neque, dum videro hos fructus tuos, ac ne tum quidem, precari, ſpe plurium aliorum, deſiſtam. Hæc animorum coniunctio vt primum inter nos coaluit, diu intra noſtram conſcien-

tiam,

tiam, aut paucorum communium amicorum ſtetit: in publicum vero, & in multorum notitiam adhuc progreſſa nondum fuit. Eſt autem ita officiis corroborata, & in eo animorum conſenſu, & paritate ſtudiorum innixa & ſuperſtructa, vt omnium conſpectum ſuſtinere, ac ſe publice teſtatam facere nequaquam vereatur. Id geſtit nunc animus meus proferre, & tuam fidem atque conſtantiam, tuamque ſingularem doctrinam & humanitatem, quæ fulcra aut præſidia ſunt amicitiæ noſtræ, in pu-

publico prædicare, & eo testari genere officiorũ, quod ingenio tuoque amori non ingratum eſſe confido. MINVCIVM FELICEM, poſt Lactantium, vt cognatum & eiusdem argumenti, parisque monitoris & elegantiæ ſcriptorem, in vſum iuuentutis Chriſtianæ, cui tot annis ſtudia dicaui mea, nouo habitu a me veſtitum ornatumque, emitto, & vt teſtem honeſtiſſimi, vt puto, facti, & adprobatorem habeam, nuncupatione NOMINIS TVI clariſſimi emitto, TIBIque illum do, dico atque dedico: & quum

quum pér se amicis cuncta sint communia, tamquam TVVM librum, a TVO, quem amas, CELLARIO profectum, adsigno & adiudico, vt, quod cum tuis monimentis agis, idem de meo etiam, quod vnice rogo, agas atque perficias. Instituti mei rationes non possunt TIBI, qui idem, quod ego, sentis, ignotæ esse aut obscuræ, vt iuventutem nostram non minus moribus honestis, ad Dei amorem pie referendis, quam vera & eleganti doctrina perpoliamus, quod, si quid iudico, neque rectius

neque facilius præstare possumus, quam hac MINVCII FELICIS, scriptoris optimi doctissimique explicatione. Totus enim in sancto argumento, vt decet Christianum, occupatus est, hoc est in destruenda impietate nationum, & veriore de diuinis sensu, & de probitate vitæ, in animis hominum eliciendo augendoque; quod non rudi Minerua, vt illi loquebantur, contra quos certabat, sed vniuersæ doctrinæ præsidio munitus, hoc est philosophorum placitis & omnium quidem sectarum

& poetarum reconditis fabulis illarumque interpretamentis, & quod caput rei eſt, vi oratoris & dicendi facultate non minus inſtructus, quam Octauius, qui divina eloquentia effecit, vt vno ſermone CÆCILIVM NATALEM, paganorum ſuperſtitioni peruicaciter addictum, & iniquum in CHRISTVM, & Chriſtianorum ſacris atque moribus acerbe illudentem, neque hunc rudem & expertem litterarum, ſed omnis generis doctrina perfectiſſime ornatum, conuinceret Deo iuvan-

vante, & ad meliorem sensum salioremque mentem transformaret. Quod certe arguit, Minucium non de grege caussidicum, sed summum fuisse oratorem. Tu vero, vir clarissime, eo animo, qnem semper significasti, hunc librum, voluntatis erga TE meæ pignus atque testem, quæso suscipe, & quod facis, me amare perge TVI semper amantissimum amicum. Vale & feliciter age, vt rei litterariæ felicitati & incremento diu possis consulere. Halæ, Nonis Maii CIƆIƆCXCIX.

CHRI-

CHRISTOPHORI CELLARII DE VSV ANTIQVITATIS ECCLESIASTICAE CHRISTIANIS SCHOLIS COMMENDANDAE PRAEFATIO.

QVi nuper LACTANTIVM FIRMIANVM, curis noſtris illuſtratum, edidimus, iam cognatum ei ſcriptorem, quo ipſe Firmianus vſus fuerat; & eiusdem argumenti, ſed breuioris, MINVCIVM FELICEM adiunctum eſſe volumus. Cauſſa inſtituti vtriusque fuit eadem, vt iuuentuti Chriſtianæ conſulatur, & optimi auctores, qui a ſcholis exſulabant, his oris exſcripti in clariorem notitiam & in vſum plurimorum hominum proferantur. Etenim quo minus adhuc illi a pluribus legerentur, vel ipſa raritas librorum,

quæ

quæ noſtris regionibus erat, ad alia impedimenta acceſſit, quia, niſi ex disiunctis locis, & grauiore ſumptu, parari apud nos non potuerunt: nec vero, ſi parati tandem eſſent, idonei ſatis ad vſum iuuentutis erant. Pleni ſunt hi auctores ſacrarum antiquitatum, etiam quæ nationum fuerunt, a veris ſacris alienarum; quæ ab ætate illa, cui conſulimus, niſi interpres accedat, non facile intelliguntur: alter vero illorum ſine explicationibus plerumque evulgatus fuit; alterum non niſi cum omnium commentariis, quibus & aliena multa interſerta ſunt, anno CIↃIↃCLII editum, & poſt viginti annos iteratum habuimus. Memini præclaros viros, ac iuuentutis commodo ſtudentes, & horum & aliorum, quibus ornata olim eccleſia fuit, ingeniorum fœtus deſiderare, educatos

catos ad captum iuuentutis, vt puram inde Latinitatem non minus, quam ex profanis Romanorum libris capiat, & vna antiquitates eccleſiæ cognoſcat, etiam, quod profanis intelligendis neceſſarium eſt, illorum ritus & cærimonias non penitus ignoret. Salubre monitum, & dignum pio officio, vt Chriſtianis adoleſcentibus Chriſtiani ſcriptores & veteres & elegantes, reddantur noti & familiares. Illos enim ſi exploraueris, ad quos auctores adducti a magiſtris ſuis fuerint, Terentium forte, & Ciceronis Officia & epiſtolas aliquot, ac pauciores orationes memorant: &, ſi hiſtoricus etiam adiectus fuit, Cornelium Nepotem, aut Q. Curtium Rufum ex parte euoluerunt. Boni quidem Latinitatis ſeruatores, quos etiam, ſed moribus non inſalubres,

a me

a me tantum abeſt vt remotos velim a ſcholarum vſu, vt ceteros quoque Ciceronis libros, & Cæſarem, Salluſtium, Velleium Paterculum, & cum Seneca Suetonium & Tacitum, ác inprimis Titum Liuium ad legendum aſſidue commendem: nec vero ita his inſiſtendum eſſe exiſtimo, vt tempus omne lectionis adripiant, nec ex bonis horis aliquid eccleſiaſticis ſcriptoribus relinquant: ſed coniungi vtrosque volo, vt ex illis Latinitas pura, tamquam ex fontibus, excipiatur; ex hiſce illa ad vſum pium & chriſtianum transferatur. Nec vero eſt quod verearis, vt vtrique tempus ſtudiorum ſit abunde. Vtique id ſufficit induſtriis, vt vtrumque alacritate pari coniungatur; ignavis ne longiſſimum quoque tempus ad agendum opportunum eſt,

qui

qui otio & voluptatibus id malunt transigere, quam in cultura animi, hoc est optimis studiis collocare. Quapropter ita sentio, atque sic animum induco, non bene consuli Christianorum scholis, si ecclesiastici veteres scriptores, iique puri ac elegantes, in iis omnes praetereantur: nec illarum fructus magnos esse experimur, ex quibus omnes saeculares siue ethnici exterminantur; sed vtriusque generis auctores coniungendos esse censeo, vt ex Romanis priscis vera indoles Latinitatis; ex Christianis, eiusdem vsus melior perspiciatur: quippe sancti quoque viri, quamquam quae saeculi sunt, contemserunt, sermonis tamen copiam & stili nitorem nequaquam neglexere, vt non tantum ad ciuiles res suas, sed ipsas etiam sacras; nec sine fructu eximio vsi fuerint.

 In-

Intereſt Chriſtianæ reipublicæ, ſtatum eccleſiæ primæ non ignorari, cuius notitia non minus eſt neceſſaria, quam Romanarum Græcarumque rerum, aut veterum in oriente imperiorum. Hanc vero quanto lucro eſt ex iis cognouiſſe, qui meliori æuo, antequam ſermo inquinaretur, ad ſcribendum ſe contulerunt? nam qui his operam vel mediocrem dederunt, geminos fructus ex vno labore percipiunt, nec pectus modo rebus implent præſtantiſſimis; verum etiam in litteris & ornatiore ſtilo egregie proficiunt. Accedit vſus alius, iſque maximi omnino faciendus, qui ex copia ſententiarum, iuuentutis moribus ſalubrium, & exemplorum ſanctitate largus & vber prouenit. Non negatum ibo, eſſe in profanis etiam, ſi ſobrii & modeſti ſunt, quod

frugi-

frugiferum esse possit & ornandis moribus accommodatum: quantum vero lux antistat tenebris, serenitas nebuloso diei; tanto maior in hoc genere ex sanctis & Christianis ingeniis, quam ex sequioribus, omnino fructus exspectatur: quia quæ ab his memoriæ sunt tradita, maiorem vim in illorum animis, qui legunt & meditantur, vtique relinquunt. Vsus ciuilium historiarum, etiam poetarum non lascivientium, dicunt, verbis Liuii esse, & vere dicunt, exempli omnis documenta, in illustri posita loco, intueri, vt inde capiamus, quod imitemur, salubre & frugiferum; etiam fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitemus. At quam sanctiora sunt exempla primigeniæ ecclesiæ, quam vel curiæ Romanorum, vel vniuersæ Græciæ? quam

vitæ & moribus salubriora dat consilia? Hæc illa antiqua est & sancta Christi respublica, in quam animum intendamus, vt, quæ vita fuerit, qui mores Christianorum, per quos viros, ac quantis laboribus & plantata sit prima ecclesia, & quo robore inter furores mundi conseruata, cognoscamus. Qui a prima ætate, cum ceteris, etiam hæc sacra studia coluerunt, næ illi in sincera pietate, in diuinarum rerum sensu, & cognitione prouidentiæ præclarũ incrementum profectus sui capiunt, & ita imbuti, per omnem ætatem adfectum, teneriori impressum, firmiter tenent, eumque nouis quotidie meditamentis alunt & perpetuo corroborant. Sanctus Hieronymus epistola III, quæ Epitaphium Nepotiani inscribitur, in laudibus illius Nepotiani, iuuenis

 pres-

presbyteri, hoc cum primis ponit, non tantum diuinarum litterarum, ſed eccleſiaſticarum etiam, at quorum? nominatim recenſet, Tertulliani ſcilicet, Cypriani, Hilarii, Arnobii, Lactantii, Minucii Felicis, Victorini, & ipſius etiam Hieronymi, aſſidua lectione PECTVS SVVM BIBLIOTHECAM CHRISTI FECISSE. O præclaram laudem Chriſtiani adoleſcentis, qui a prima ætate ad hoc adductus a magiſtris fuit, & in id induſtria ſua incubuit, vt Chriſti bibliothecam, id eſt ſacrarum rerum notitiam, & eccleſiæ antiquitatum, in pectore ſuo adſeruatarum, portet, atque a teneris ad Chriſtianum officium, cum ſæcularibus litteris coniunctum, adſuefactus, legat, ſcribat, meditetur ea, vnde non eruditioni modo, ſed ſanctitati etiam vitæ in dies incre-

mentum adiiciatur. Ad id vero velim consilia nostra valeant, vt Christiana iuuentus ad vtrumque munus præparetur, & æque historiam & ritus veteris ecclesiæ, vt Romanæ Græcæque reipublicæ (quod designato modo, exemplisque probato, fieri posse nihil dubitandum est) animo feliciter complectatur. Ingens sic vtilitas ad vitam, ad ecclesiam, ad rempublicam Christianam redundabit.

Illud etiam ad eruditionem pertinet, MYTHOLOGIAM veterum & peruersum deorum cultum non ignorare, cuius rei notitia, quamvis vana & inutilis per se est, non nihil tamen ad vtiliora, ex antiquis monimentis capienda, adfert, vt plenius intelligantur, ne ignoratio inter legendum sit impedimento. Copiosius quidem ex poetarum car-

carminibus petuntur, quæ id genus ſuperſtitionibus referta ſunt: at ſalubrius ex libris Chriſtianis, Minucii videlicet, Arnobii, & Lactantii, & qui hos ætate præcedit, etiam Tertulliani: quibus ſi poetam adiungere non diſplicet, Aurelius eſt Prudentius, qui idem argumentum bene pertractauit, vt, monſtrata nationum ſuperſtitione, verum Dei cultum, veramque pietatem diuinis argumentis vindicaret. Nam his auctoribus, quæ gentes coluerunt, ita falſa & turpia cognoſcuntur, vt ſimul valide confutentur: veritas autem diuina, diſpulſis nebulis, in clariorem lucem proferatur: quod iuuentuti ſalutarius eſt hoc modo cognouiſſe, quam falſa ſola ab falſis magiſtris, poetis & mythologis, percepiſſe.

Quæ quum ita ſint, non puto

multos esse, qui contra nos negatum eant, e re scholarum fore & Christianorum, si amotis impudicis libris, & amorum fabulis illecebrosis, sæculares auctores optimi retineantur, iisque ex ecclesia iungantur qui purioris sermonis amantes, elegantia non minus rem litterariam, quam profani possint adiuuare. Vt quæ sentio planius exponam, cum Cicerone velim LACTANTIVM, illius imitatorem, componi, aut si hic vberior, quam pro captu adolescentiæ, videatur, MINVCIVM FELICEM, nihil Lactantio nitore stili concedentem, argumento parem, breuitate multum complexa iuuentuti gratiorem, quæ breuia sectetur, ne longitudine & copia ætati nondum confirmatæ aliquod tædium suboriatur. In poetis autem Virgilio

gilio & Horatio non incommode PRVDENTIVS censetur addi, qui quamuis singularia nonnulla, præsertim in vocibus ex Græcia petitis, habeat; quemadmodum vetustioribus quoque non desunt ἰδιαίτερα; id tamen rerum copia, & elegantia verborum admirabili repensat. Adiungi forsan SEDVLIVS potest, poeta non minus sanctus quam ornatus, aut Nolanus ille PONTIVS PAVLLINVS; & qui sacrato stilo sæcularia quoque persequutus est, SIDONIVS APOLLINARIS; quamuis solutus vtriusque sermo cum ligato, multum præstantiore, ego nolim comparetur.

Quod reliquum est, de nostra editione, pauca, quæ interest non nesciri, memoramus. Dialogum ipsum, quam castigate potuimus,

damus emendatiorem, vſi ad id doctiſſimorum virorum obſeruationibus, Deſiderii Heraldi, Nicolai Rigaltii, Geuerharti Elmenhorſti, Ioannis Woweri, Ioannis Meurſii, Iacobi Ouzelii, & qui primas tenet, Io. Friderici Gronouii. Quibus interiectum iri ſperabamus, quæ vir clariſſimus IACOBVS PERIZONIVS, amicus noſter, erudite obſervauerat. Sed ſero adlatæ ſunt eius litteræ, quum iam exſcriptus eſſet Minucius: ideoque ſeparatim illa, ſub finem, ne fruſtra adlata eſſent, adpoſuimus, vt quisque ex illis quæ velit, adſcribere in loco ſuo poſſit. Quod ad noſtras adnotationes pertinet, quæcumque interprete nobis viſa ſunt indigere, declarauimus perſpicue, ad tria animum aduertentes, vt primum emendationis rationem reddamus, quo auctore, & cu-

& cuius consilio vel hanc vel illam lectionem aliorum scripturæ præferamus: deinde vt historiam atque fabulas, si quæ obscuriores sunt, illustremus: tandem etiam Latinitatis, si qua rarior occurrit aut difficilior, rationem habeamus. Minuciano CYPRIANI librum de Idolorum vanitate, Woweri exemplo, adiunximus, quia eiusdem argumenti est, atque sæpissime iisdem & verbis & sententiis expressus, vt alterum ex altero transscriptum hic illic esse necesse sit, quamlibet vter prior fuerit, non omnium est eadem opinio. Plerique tamen Minucium Cypriano præisse censent, quod vel ideo propius ad fidem faciendam est, quia copiosa facilius, retentis verbis, in epitomen rediguntur, quam breuia, iisdem seruatis, amplificantur.

Quæ

Quæ præterea de ætate MINVCII FELICIS, & vitæ ratione dicenda essent, clarissimus iurisconsultus FRANCISCVS BALDVINVS erudita dissertatione exposuit, quam integram adiungi non tantum ea de caussa voluimus, verum idcirco etiam, quod totius Dialogi expeditiores rationes facit, & Christianorum antiquitates commendat, etiam iurisconsultum Christianum exemplo Minucii, caussidici Romani, egregie describit, omnesque, qui legibus operantur, ne minus Minucianæ iurisprudentiæ, quam Mucianæ studeant, magnopere hortatur,



TESTIMONIA VETERVM DE MINVCIO FELICE.

LACTANTIVS lib. I Diuinarum Institutionum cap. XI sect. 55

Minucius Felix in eo libro, qui Octauius inscribitur, sic argumentatus est: Saturnum, quum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, Cœli filium dictum, quod soleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentine aduenerint, de cœlo cecidisse, dicere: terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominamus.

Idem lib. V cap. I sect. 22

Minucius Felix, non ignobilis in caussidicis loci fuit. Huius liber, cui Octauio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis adsertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.

HIERONYMVS Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum:

Minucius Felix, Romæ insignis caussidicus, scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui Octauius inscribitur. Sed & alius sub nomine eius fertur de Fato, vel contra Mathematicos, qui, quum sit & ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri stilo conuenire.

Idem

Idem HIERONYMVS Epithaphio Nepotiani, siue Epistola III ad Heliodorum, Nepotiani auunculum.

Sermo eius (Nepotiani) *per omne conuiuium de scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere verecunde, recta suscipere, praua non acriter confutare, disputantem contra se magis docere, quam vincere. Ingenuo pudore, qui ornabat ætatem; quid cuius esset, simpliciter confiteri, atque in hunc modum, eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii est. Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum est loquutus Arnobius. Me quoque, quia pro sodalitate auunculi diligebat, interdum proferebat in medium, lectioneque assidua & meditatione diuturna, pectus suum bibliothecam fecerat Christi.*

Idem Epistola LXXXIV ad Magnum, oratorem Romanum:

Minucius Felix, caussidicus Romani fori, in libro cui titulus Octauius est, & in altero contra Mathematicos, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum?



M. MI.

M. MINVCII FELICIS OCTAVIVS.

COgitanti mihi, & cum animo meo Octauii, boni & fidelissimi contubernalis, memoriam recensenti, tanta dulcedo & adfectio hominis

A inhæ-

M. MINVCII FELICIS) Plura Minuciæ gentis cognomina, Rufi, Thermi, Fausti, Macri, Fundani, & in his etiam *Felices*. Vetus inscriptio Romana apud Gruter. pag. 918

DIIS MANIBVS
SACRVM
Q. MINVCIVS FELIX.

Scribitur per C, quia non a *minutus:* quod correpta etiam syllaba iubet. Silius Italicus VII. 523

Nec mora, disiecto Minucî vecordia vallo
Perdendi simul & pereundi ardebat amore.

OCTAVIVS) Hoc nomen Dialogi, sumtum a principe colloquentium persona, vt Cicero suos dialogos Catonis, Luculli, Bruti, Lælii nomine præscripsit, Platonem imitatus, cuius Phædonem, Alcibiadem, Socratem & alios libros, a principe colloquente nominatos, habemus. Quis fuerit Octauius, ex cap. I & II, quantum de eo nobis traditum est, cognoscitur. Infra cap. XV & *Ianuarius* plenis nominibus *Ianuarius Octavius* appellatur. Certi colloquutores sunt *Cæcilius Natalis*, paganus adhuc, post colloquium Christianus: & noster *M. Minucius Felix*, qui in hoc dialogo aliquando

inhæſit, vt ipſe quodammodo mihi viderer in præterita redire, non ea, quæ iam tranſacta & decurſa ſunt,
2 recordatione reuocare. Ita eius contemplatio, quantum ſubtracta eſt oculis, tantum pectori meo, ac pæne intimis ſenſibus, implicata eſt.
3 Nec immerito diſcedens vir eximius & ſanctus immenſum ſui deſiderium nobis reliquit: vtpote quum & ipſe tanto noſtri ſemper amore flagrauerit, vt & in ludicris & ſeriis pari mecum voluntate concineret, eadem vellet, vel nollet. crederes vnam mentem in duobus fuiſſe diuiſam. Sic ſolus

ſolo prænomine *Marcus* vocitatur. Vide cap. III & V.

Cap. I. 1. *decurſa ſunt*) Non inſueta Latinis forma. Plautus Mercat. a. III ſc. II verſ. 4 *decurſo in ſpatio*. Lucretius lib. III verſ. 1055

Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ.

Solinus extremo prooemio: *relegere tramitem decurſum tot annalibus.*

3. *vnam animam in duobus diuiſam*) Tenerrimi amoris deſcriptio, & ſummæ, quæ inde oritur, concordiæ: vti illud Horatii de Virgilio eſt lib. I od. III *animæ dimidium meæ:* aut, quod propius eſt, Ouidii Triſt. IV eleg. IV verſ. 72 de Oreſte & Pylade,

Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.

lus in amoribus conſcius ipſe, ſocius
in erroribus. & quum diſcuſſa caligi- 4
ne de tenebrarum profundo in lucem
ſapientiæ & veritatis emergerem;
non reſpuit comitem, ſed, quod eſt
glorioſius, præcucurrit. Itaque cum 5
per vniuerſam conuictus noſtri & fa-
miliaritatis ætatem mea cogitatio vo-
lueretur, in illo præcipue ſermone
eius mentis meæ reſedit intentio, quo
Cæcilium, ſuperſtitioſis vanitatibus
etiam tum inhærentem, diſputatione
grauiſſima ad veram religionem re-
formauit. Nam negotii & viſendi 11
mei gratia Romam contenderat, re-
licta domo, coniuge, liberis; &
quod eſt in liberis amabilius, annis
adhuc innocentibus, & adhuc dimi-
diata verba tentantibus, loquela ipſo
offenſantis linguæ fragmine dulcio-

4. *diſcuſſa caligine*) Sic non tantum poetæ, vt AEneid. XII verſ. 669

Vt primum diſcuſſæ vmbræ, & lux reddita menti:

verum etiam Cicero Philipp. XII cap. II *Diſcuſſa eſt illa caligo, quam paullo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia.*

in lucem veritatis emergerem) elucet exhinc, etiam Minucium antea paganæ ſuperſtitioni addictum fuiſſe. Adde cap. V. ſect. I.

2 re. Quo in aduentu eius non possum
exprimere sermonibus, quanto, quamque impatienti gaudio exsultauerim, cum augeret maxime lætitiam meam amicissimi hominis inopinata præsen-
3 tia. Igitur post vnum & alterum diem, quum iam & auiditatem desiderii frequens assiduitatis vsus impleſſet: & quæ per abſentiam mutuam de nobis neſciebamus, relatione alterna comperiſſemus; placuit Oſtiam petere, amœniſſimam ciuitatem, quod eſſet corpori meo ſiccandis humoribus de marinis
4 lauacris blanda & appoſita curatio. ſane & ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant. nam id temporis poſt æſtiuam diem, in temperiem ſemet

4. *ad vindemiam feriæ iudiciariam curam*) Causſidicus fuit Minucius Felix, etiam quum iam Chriſto deuotus eſſet. Vide Lactantii & Hieronymi teſtimonia, ſupra in limine libri propoſita. Meſſis autem & vindemiarum tempore lites forenſes ceſſabant. Plinius lib. VIII epiſt. XXI *Iulio menſe, quo maxime lites interquieſcunt.* Et Statius lib. IV Silv. IV verſ. 40

- - - - *meſſesque reuerſæ*
dimiſere forum.

Idem vindemiis eſſe factum, ex hoc loco intelligimus.

met autumnitas dirigebat. Itaque quum diluculo ad mare inambulando litori pergeremus, vt & aura adſpirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli veſtigio cedens arena ſubſideret; Cæcilius ſimulacro Scrapidis denotato (vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admouens, oſculum labiis impreſſit. Tunc Octauius ait: III

5. *ſimulacro Serapidis denotato*) animaduerſo. Serapis Aegyptiorum numen. Tacitus Hiſtor. IV. cap. LXXXI. *monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit:* cuius templum πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον, *multa religione colebatur*, Strabo lib. XVII pag. 551. Inde ſuperſtitio Romam manauit, & in reliquam Italiam. Domitianus *Serapeum* condidit, *Eutrop.* VII *extremo:* quod *decenter ornauit* Alexander, Rom. Imperator, *Lamprid. cap.* XXVI.

manum ori admouens, oſculum labiis impreſſit) Adorantium ritus. Hieronymus lib. I adv. Rufin. cap. V. *Qui adorant, ſolent deoſculari manum & capita ſubmittere.* Apuleius Metamorph. lib. IIII p. 155 ed. Elmenh. *admouentes oribus ſuis dexteram, primore digito in erectum pollicem reſidente, vt ipſam prorſus Deam Venerem, religioſis adorationibus venerabantur.* Et in Apologia p. 310 de Aemiliani impietate: *ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia manum labris admouere.* Vide P. Pithœi Aduerſ. lib. I cap. VII.

Non boni viri eſt, Marce frater, hominem domi foriſque lateri tuo inhærentem, ſic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deſerere, vt tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos ſane, & unctos, & coronatos: quum ſcias, huius erroris non minorem ad te, quam ad ipſum, infamiam red-
2 undare. Cum hoc ſermone eius medium ſpatium ciuitatis emenſi, iam liberum litus tenebamus. ibi arenas extimas, velut ſterneret ambulacro, perfun-

Cap. III. 1. *in lapides unctos & coronatos impingere*) Pagani vngebant lapides, quos religioſe colebant & adorabant. Auguſtin. Civit. Dei XVI cap. XXXVIII *Nec more idololatriæ lapidem perfudit oleo Iacob, velut faciens illum deum: neque enim adorauit illum lapidem, vel ſacrificauit.* Apuleius Apologia d. l. *Negant vidiſſe ſe vnum in finibus eius aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum.* Adi Elmenhorſt. in Arnob. lib. I p. 37. De verbo *impingere* vide Cur. Poſter.

2. *ſpatium ciuitatis emenſi*) Oſtia ciuitas ad litus protenſa erat, qua parte mare ſpectabat, libera muris. Hoc niſi attendas, nequaquam capies, quomodo medium ciuitatis ſpatium emenſi, liberum litus tenere potuerint, ad quod videbatur egreſſione ciuitatis opus eſſe. *Barth. Adv.* XLIII cap. XXV.

fundens lenis vnda tenebat: & vt semper mare, etiam positis flatibus, inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram; tamen
crispis torosisque. Ibidem erroribus 3
delectati perquam sumus, quum in ipso æquoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc adpulsum nostris pedibus adluderet fluctus: nunc relabens ac vestigia retrahens, in sese re-
sorberet. Sensim itaque tranquilleque 4
progressi, oram curui molliter litoris,
iter fabulis fallentibus, legebamus. Hæ 5

tendebat) extendebat, quasi sternens ambulacro, vt dixerat, quia non cumulatior arena obgerebatur, quam ne pedes altius impressi laborarent. Nec opus, vt cum quibusdam *tundebat* reponas.

tamen crispis torosisque) Vexatus locus. *Torosis* est in MSS. quod sonat, fluctus non tumidos altosque fuisse, sed mediocriter elatos, & ventulo nonnihil crispos. Barthius incipit post *crispis*, vt *torosis*, siue, quod mauult, *tortuosis*, cum *erroribus* cohæreat, quod etiam Rigaltio Ouzelioque placet, qui vero *torosis* retinent, solam distinctionem sustulisse contenti. Nos cum Fr. Balduino scripsimus.

4. *curui molliter litoris*) leni tractu curuati, non flexi abrupte. Palladius lib. I. cap. V *collis molliter per latera inclinata deductus.* Diximus de hoc plura ad Plin. lib. V epist. VI sect. 14.

fabulæ erant Octauii, differentis de na-
vigatione, narratio. ſed vbi eundi ſpa-
tium ſatis iuſtum cum ſermone con-
ſumſimus, eandem emenſi viam rurſus,
6 verſis veſtigiis, terebamus. Et quum ad
id loci ventum eſt, vbi ſubductæ naui-
culæ, ſubſtratis roboribus, a terrena la-
be ſuſpenſæ quieſcebant; pueros vide-
mus, certatim geſtientes, teſtarum in
7 mare iaculationibus ludere. Is luſus
eſt: teſtam teretem iactatione fluctuum
læuigatam legere de litore: eam teſtam
plano ſitu digitis comprehenſam, incli-
nem ipſum atque humilem, quantum
poteſt, ſuper vndas inrotare: vt illud
iaculum, vel dorſum maris raderet, vel
enataret, dum leni impetu labitur: vel
ſummis fluctibus tonſis emicaret, dum
aſſi-

6. *Subductæ naniculæ ſubſtratis roboribus*) Nauigia hiberno & alio tempore, quo vſus ceſſabat, retracta in litus ſunt, & trabibus impoſita, ne terræ humidæ contactu putreſcerent: vſu redeunte, machinis deducta in mare. Horatius lib. I oda IIII

Trahuntque ſiccas machinæ carinas.

7. *In luſus eſt: teſtam teretem*) Luſus is Græcis ἐποστρακισμός. Iulius Pollux lib. IX cap. VII p. 444 eodem, vt noſter, deſcripſit modo.

aſſiduo ſaltu ſubleuatur. Is ſe in pueris 8
victorem ferebat, cuius teſta & procur-
reret longius, & frequentius exſiliret.
Igitur quum omnes hac ſpectaculi vo- IV
luptate caperemur, Cæcilius nihil in-
tendere, neque de contentione ridere:
ſed tacens, anxius, ſegregatus, dolere
neſcio quid vultu fatebatur. Cui ego: 2
Quid hoc eſt rei? cur non agnoſco,
Cæcili, alacritatem tuam? cur illam o-
culorum etiam in ſeriis hilaritatem re-
quiro? Tum ille: Iamdudum me Octa- 3
vii noſtri acriter angit & remordet ora-
tio: qua, in te inuectus, obiurgauit neg-
ligentiæ, vt me diſſimulanter grauius
argueret inſcientiæ. Itaque progrediar
vlterius: de toto & integro mihi cum
Octauio res eſt. Si placet, vt ipſius ſe- 4
ctæ homo cum eo diſputem, iam pro-

Cap. IV. 3. *angit & remordet oratio*) oratio de lapidibus vnctis, in quos clara luce impingeret Cæcilius, cap. III.

4. *ipſius ſectæ homo*) ſectæ paganorum, cui adhuc deditus erat Cæcilius.

eſt, audere quosdam, & hos ſtudiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum ac maieſtate decernere, de qua tot omnibus ſæculis ſectarum plurimarum vsque adhuc ipſa philoſophia deliberat.
5 Nec immerito: quum tantum abſit ab exploratione diuina, humana mediocritas, vt neque quæ ſupra nos cœlo ſuſpenſa ſublimata ſunt, neque quæ infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut ſciſcitari religioſum: & beati ſatis, ſatisque prudentes iure videamur; ſi, ſecundum illud vetus

4. *litterarum profanos*) vulgus profanum, illiteratos. Cuiusque rei hoſtes, velut ſacræ, ad eam *profani* dici poſſunt.

etiam ſordidarum) Sic Bald. Herald. Rigalt. Ouzel. vt infima conditio & extrema paupertas Chriſtianis obiiciatur, qui nec opificium mediocriter lucroſum digni ſint vt exerceant, neque poſſint etiam. Alii *niſi ſord.*

tot omnibus ſæculis) Heraldus e MS. tuetur τὸ *omnibus*, ſuſpectum. VVovvero. *Tot omnes*, vt *plerique omnes*. Terentius Andr. a. I ſc. I *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli.*

5. *ſuſpenſa ſublimata*) MS. *ſublata.* at opponitur *profundis.*

vetus ſapientis oraculum, noſmet ipſos
familiarius nouerimus. Sed, quatenus 6
indulgentes inſano atque inepto labori, vltra humilitatis noſtræ terminos
euagamur, & in terram proiecti cœlum
ipſum & ipſa ſidera audaci cupiditate
tranſcendimus, vel hunc errorem ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicemus. Sint principio om- 7
nium ſemina natura in ſe coëunte denſata: quis hic auctor Deus? ſint fortuitis concurſionibus totius mundi membra coalita, digeſta, formata: quis Deus
machinator? Sidera licet ignis accen- 8
derit, & cœlum licet ſua materia ſuſpen-

5. *vetus ſapientis oraculum*) Illud γνῶθι σεαυτὸν deſignat, quod quidam Chiloni, alii Thaleti, nonnulli etiam Pythiæ aut Apollini tribuunt. Vid. Clementem Alexandr. Strom. lib. I p. 300 & lib. V p. 568. Laertius Thaleti dat: ſed addit ex Antiſthene, Chilonem ἐξιδιοποιήσασθαι αὐτὸ, *ſibi vſurpaſſe*.

7. *Sint principio omnium ſemina*) Sic ex Reg. MS. Herald. Rigalt. Ouzel. At Bald. *principia*: quod VVovver. vncis incluſit, tamquam cum Rom. inducendum. Sed ipſa Epicurea diſciplina, vnde hæc hauſta ſunt, *principio* flagitat, non *principia*.

8. *ſua materia*) ſui generis, quæ leuis & ſubtilis eſt.

penderit: licet terram fundauerit pondus, & mare licet influxerit liquor; vnde hæc religio, vnde formido, quæ
9 ſuperſtitio eſt? Homo, & animal omne, quod naſcitur, inſpiratur & alitur, elementorum vt voluntaria concretio eſt: in quæ rurſum homo, & animal omne diuiditur, diſſipatur. ita in fontem refluunt, & in ſemet omnia inuoluuntur, nullo artifice,
10 nec iudice, nec auctore. Sic congregatis ignium ſeminibus ſoles alios atque alios ſemper ſplendere: ſic exhalatis terræ vaporibus, nebulas ſemper adoleſcere: quibus denſatis coactisque, nubes altius ſurgere: iiſdem labantibus, pluuias fluere, flare ventos, grandines increpare: vel, nimbis collidentibus, tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina præmicare. adeo paſſim cadunt, montes irruunt

10. *labantibus*) Sabæus & Balduinus ſic: vulgo *labentibus.*

montes irruunt) Bene. nam *irruere* eſt *ruere in quem.* Claudianus conſ. Mall. Theod. v. 195 in optimis libris MSS. & ed.

Irruit irtrepidus flammas.

Prudentius Apotheoſi v. 414.

Ecce Geraſenos legio irruit effera porcos.

unt, arboribus incurrunt: ſine delectu tangunt loca ſacra & profana: homines noxios feriunt, ſæpe & religioſos. Quid tempeſtates loquar 11
varias & incertas? quibus, nullo ordine vel examine, rerum omnium impetus volutatur, in naufragiis bonorum malorumque fata mixta, merita confuſa, in incendiis interitum conuenire inſontium nocentiumque: &, cum tabe peſtifera cœli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire: & cum belli ardore ſæuitur, meliores potius occumbere. In pace 12
etiam non tantum æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: vt in pluribus neſcias, vtrum ſit eorum deteſtanda prauitas, an optanda felicitas. Quod 13
ſi mundus diuina prouidentia, & alicuius numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris & Diony-

Ammianus XVII cap. XXVIII *Has terras Parthiſcus irruens, obliquatis meatibus, Iſtro miſcetur.* Auienus Deſcript. Orbis v.594. de Acheloo,

Irruit Hadriacum tergum maris.

13. *Phalaris*) Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, qui æneo tauro, ſupplicii cauſſa, viuos homines incluſit & ſubiectis flammis vſtulauit. Quod

nyſius regnum, numquam Rutilius & Camillus exſilium; numquam Socrates
14 venenum. Ecce arbuſta frugifera, ecce iam ſeges cana, iam temulenta vindemia im-

crudelitatis inſtrumentum, a Carthaginienſibus ablatum, Scipio, capta Carthagine, Agrigentinis reddidit, eosque cogitare iuſſit, vtrum eſſet Siculis vtilius, ſuisne ſeruire, an populo Romano obtemperare: quum idem monimentum & domeſticæ crudelitatis, & Romanæ manſuetudinis haberent. *Cic. in Verr. VI. 33.*

Dionyſius) Dionyſius maior, Syracuſanorum tyrannus. *Corn. Nep. in Dione c.* I. II. *& in Regib. c.* II.

Rutilius) P. Rutilius Rufus, Syllanis temporibus, de quo Epitoma Liuii LXX: *P. Rutilius, vir ſummæ innocentiæ, quoniam legatus C. Mucii proconſulis a publicanorum iniuriis Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exſilium miſſus eſt.* Sæpe laudatus a Seneca, de Prouid. c. III. Tranquill. cap. XV. Vir. beat. cap. XVIII, Conſol. ad Marc. cap. XXII, & Epiſt. XXIV, LXVII, LXXIX: plenius a Valerio Max. VI. cap. IIII.

Camillus) Et hic iniuſte exſul factus, *Liuius* lib. V. cap. XXVIII & XLIII.

Socrates) Hunc Athenæ ipſæ in carcere occiderunt, *Senec. Tranquill.* cap. IV, cicuta nempe ſiue venenato calice, *Idem epiſt.* XIII & LXVII.

14. *ſeges cana*) Ouidius Metamorph. X verſ. 655

Et ſegetis canæ ſtantes percurrere ariſtas.

Vt adeo non ſit, quod vulgarem lectionem ſollicites, aut cum nonnullis *flaua* ſubſtitui poſtules

imbri corrumpitur, grandine cæditur.
adeo aut incerta nobis veritas occultatur & præmitur: aut quod magis
credendum eſt, variis & lubricis
caſibus, ſoluta legibus fortuna dominatur. Quum igitur aut fortuna VI
certa, aut incerta natura ſit, quanto venerabilius ac melius, antiſtitem veritatis maiorum excipere diſciplinam, religiones traditas colere,
deos, quos a parentibus ante imbutus es timere, quam noſſe familiarius, adorare: nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere,
qui adhuc rudi ſæculo in ipſis mundi natalibus meruerunt deos vel faciles habere, vel reges? Inde adeo 2
per vniuerſa imperia, prouincias,
oppida, videmus ſingulos ſacrorum
ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, vt Eleuſinios Cererem, Phrygas Magnam matrem, Epidau-

Cap. VI. 2. *vt Eleuſinios Cererem*) Pompon. Mela II cap. III *in Attide Eleuſin Cereri conſecrata.* Lactantius, Statii interpres, Theb. II verſ. 382 *Eleuſis oppidum eſt Athenis vicinum, in quo Ceres eximie colitur.*

Magnam matrem.) Cybelen, matrem deûm, Peſſinunte in Phrygia maximopere cultam, vnde Romani eius ſimulacrum & ſacra petierunt.

daurios AEſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, vniuerſa Romanos.
3 Sic eorum poteſtas & auctoritas totius orbis ambitus occupauit: ſic imperium ſuum vltra ſolis vias, & ipſius Oceani limites propagauit, dum exercent in armis virtutem religioſam, dum vrbem muni-

Herodian. lib. I *cap.* XI. Adde ad cap. VII ſect. 3 dicenda.

Epidaurios AEſculapium) Epidauri, quæ vrbs Peloponneſi erat, antiqua religione AEſculapius, medicinæ præſes, cultus fuit. Inde Romani draconis forma acceperunt, *Epit. Liv.* XI.

Chaldæos Belum) Belus Babyloniorum rex: poſt mortem deus. De regno Curtius lib. V cap. I ſect. 24. Diodor. lib. I cap. XXVIII. De religione Herodotus I cap. CLXXXI fuiſſe Babylone ait Διὸς Βήλȣ ἱρὸν χαλκόπυλον, *Iouis Beli templum, æneis portis munitum.*

Aſtarten Syros) Cicero de Natura deor. lib. III cap. XXIII *Quarta Venus, Syria, Tyroque concepta: quæ Aſtarte vocatur, quam Adonidi nupſiſſe proditum eſt.* In ſacra hiſtoria *Aſchtoreth*, Sidoniorum numen, I Reg. XI comm. 5 33. LXX ἀςάρτη.

Dianam Tauros) Ouidius Triſt. IV eleg. IV. 63
Non procul a nobis locus eſt, vbi Taurica dira
Cæde pharetratæ paſcitur ara deæ.

Gallos Mercurium) Cæſar. B. Gall. VI cap. XVI *Deum maxime Mercurium colunt: huius ſunt plurima ſimulacra.*

munriunt ſacrorum religionibus, caſtis virginibus, multis honoribus ac nominibus ſacerdotum: dum obſeſſi, 4
& citra ſolum Capitolium capti, colunt deos, quos alius iam ſpreuiſſet, iratus; & per Gallorum acies, mirantium ſuperſtitionis audaciam, pergunt telis inermes, ſed cultu religionis armati: dum capti in hoſtilibus mœnibus, adhuc ferociente victoria, numina victa venerantur: dum vndique hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt: dum aras exſtruunt etiam ignotis numinibus
& manibus. Sic dum vniuerſarum 5
gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regnare meruerunt. Hic perpetuus venerationis tenor manſit, qui longa ætate non infringitur, ſed augetur: quippe antiquitas cærimoniis atque fanis tantum ſanctitatis tribuere conſueuit, quantum adſtru-

4. *& per Gallorum acies, mirantium)* Liuius lib. V cap. XLVI, Flor. I. cap. XIII. n. 16.

etiam ignotis numinibus) Tertullianus adv. Marcion. lib. I cap. IX *Inuenio plane Ignotis deis aras proſtitutas. ſed Attica idololatria eſt. Item, Incertis deis, ſed ſuperſtitio Romana eſt. Porro incerti dei minus noti, vt minus certi, & proinde ignoti, qua minus certi.*

VII ſtruxerit vetuſtatis. Nec tamen temere (auſim enim interim & ipſe concedere, & ſic melius errare) maiores noſtri, aut obſeruandis auguriis, aut extis conſulendis, aut inſtituendis ſacris, aut delubris dedi-
2 candis operam nauauerunt. Specta de libris memoriam: iam eos deprehendes initiaſſe ritus omnium religionum, vel vt remuneraretur diuina indulgentia, vel vt auerteretur imminens ira, aut vt iam tumens & ſæ-
3 viens placaretur. Teſtis mater Idæa, quæ aduentu ſuo & probauit matronæ caſtitatem, & vrbem metu hoſtili liberauit:

Cap. VII. 1. *concedere & ſic melius errare*) concedere prouidentiam cœleſtem, quam antea ex Epicuri philoſophia impugnauerat: & melius errare ac felicius, quam Octauius, quia prouidentia illa bene ſit deorum cultoribus, quod exemplis probat; male, negatoribus eorum Chriſtianis.

3. *mater Idæa*) Hoc Heraldus ex MS. regio: alii *mater deûm*, vel aliter. Cicero de Legib. lib. II. cap. IX *præter Idææ matris famulos.*

probauit matronæ caſtitatem) Claudiæ Quintæ. Silius lib. XVII verſ. 34. Lactantius lib. II, cap. VII. ſect. 12.

vrbem metu hoſtili liberauit) Liuius dicto lib. XXIX cap. X omnem cauſſam explanat. *Ciuitatem*, inquit, *eo tempore recens religio inua-*

rauit: teſtes equeſtrium fratrum in lacu, ſicut ſe oſtenderant, ſtatuæ conſecratæ, qui anheli, ſpumantibus equis atque fumantibus, de Perſe victoriam eadem die, qua vicerant, nuntiauerunt. Teſtis ludorum, offenſo Ioue, 4
de ſomnio plebeii hominis iteratio: & Deciorum deuotio rata teſtis eſt: teſtis & Curtius, qui equitis ſui vel mole vel

 onere

ſerat, inuento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum inſpectis: QVANDOQVE HOSTIS ALIENIGENA TERRAE ITALIAE BELLVM INTVLISSET, EVM PELLI ITALIA VINCIQVE POSSE, SI MATER IDAEA A PESSINVNTE ROMAM ADVECTA FORET.

equeſtrium fratrum in lacu) Caſtoris & Pollucis ad lacum Iutturnæ. Cic. Nat. deor. lib. II cap. II. Tuſcul. Q. lib. I. cap. XII. Valer. Max. lib. I. cap. VIII. Flor. lib. II. cap. XII. extremo, Lactant. lib. II. cap. VII. ſect. 9, 10.

4. *Teſtis ludorum, offenſo Ioue, iteratio*) Vide Lactantium lib. II cap. VII. ſect. 20, & quos ibi aduocauimus.

& Deciorum deuotio) Decii Mures ſe diis manibus pro victoria populi Rom. in prœliis devouerunt; pater bello Latino, *Liv.* IIX. *cap.* IX, *Flor.* I. *cap.* XIV. filius bello Etruſco, Samnitico, Gallico, *Liv. lib.* X *cap:* XXVIII, *Flor. lib.* I *cap.* XVII *extr.* De vtroque *Valer. Max. lib.* V. *cap.* VI.

teſtis & Curtius) intellige *lacus*, qui ab equite ſuo

onere hiatum profundæ voraginis coæquauit. Frequentius etiam, quam volebamus, deorum præsentiam contemta auspicia contestata sunt. Sic Allia nomen infaustum, sic Claudii & Iunii, non præ-

M. Curtio nomen trahebat. Lege Liuium lib. VII cap. VI. Aliis *Curtius* ipse est Marcus, & *equitis*, equi, vt in illo Virgilii Georg. III. vers. 116

Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo.

Vbi Seruius; EQVITEM, *equum. Pro equo rectorem posuit.* Et Ennius apud Gellium lib. XVIII cap. V *quadrupes eques.*

5. *Sic Allia nomen infaustum*) Nota clades Romanorum ad Alliam, XI ab vrbe lapide Crustuminis montibus in Tiberim defluentem, ex quo a Gallis Roma capta & exusta. *Liv. lib.* V. *cap.* XXXVII. nec omen eius diei, qui inde *Alliensis* dicebatur, obscurum, *Idem* lib. VI. cap. I. nec formula nostri vnde sumta sit, incertum, quippe Virgilius Aeneid. VII vers. 717 prædixerat:

infaustum interluit Allia nomen:

sed id hoc loco disquirendum est, quare in exemplis contemtæ vel neglectæ religionis numeretur. Caussam Liuius d. l. VI cap. I & Macrobius Saturnal. lib. I cap. XVI hanc adferunt, quia *Q. Sulpicius tribunus militum, aduersus Gallos pugnaturus, rem diuinam dimicandi gratia fecerit postridie idus Quintiles.* Diem autem postridie calendas, nonas, idus, in atris & infaustis habuerunt.

Sic Claudii & Iunii) P. Claudius, Appii Cæci

prœlium in Pœnos, ſed ferale naufragium eſt. Et vt Traſimenus Ro- 6
manorum ſanguine & maior eſſet, & decolor, ſpreuit auguria Flaminius: & vt Parthos ſigna repetamus, dirarum imprecationes Craſſus & meruit & irriſit. Omitto vetera, quæ 7
multa ſunt, & de deorum natalibus, donis, muneribus; negligo carmina poëtarum; prædicta etiam de oraculis fata tranſilio, ne vobis antiquitas nimium fabuloſa videatur. Intende 8

filius, conſul, eiusque collega L. Iunius, Punico primo bello, contra auſpicia & vetante pullulario nauigauerunt. Ille victus a Pœnis eſt: hic claſſem tempeſtate amiſit. *Cicero Nat. D. lib.* II *cap.* III, *Valerius Maximus lib.* I *cap.* IV, *Eutropius lib.* II. *cap.* XV.

6. *vt Traſimenus*) VT ἐκβατικῶς, Sic Florus IV cap. II *Acceſſit copiis rex Iuba, vt latius vinceret Cæſar.*

ſpreuit auguria Flaminius) quod ſignifer defixum ſignum non poterat conuellere. Lege Liuium lib. XXII cap. III. Ferociter enim apud Silium dixit lib. V verſ. 118

Sat magnus in hoſtem
Augur adeſt enſis,pulchrumque & milite dignum
AuſpiciumLatio, quod in armis dextera præſtat.

dirarum imprecationes) deuouente Craſſum tribuno pl. Metello, *Flor.* III. *cap.* XI, & vate in Syria δυσέκθυτα nuntiante, ſiue, litari non poſſe, *Plutarch. Craſſo p.* 554.

templis ac delubris deorum, quibus Romana ciuitas & protegitur & ornatur: magis sunt augusta numinibus incolis, præsentibus, inquilinis, quam cultu insignia & muneribus
9 opulenta. Inde adeo pleni & mixti Deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem adflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus leuamentum: etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus,
VIII eieramus. Itaque cum omnium gentium de diis immortalibus, quamuis incerta sit vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio; neminem fero tanta audacia, tamque irreligio-

8. *quam cultu insignia*) MS. Reg. *cultu, insignibus, & m.* Sed bona etiam vulgata lectio.

9. *vates futura præcerpunt*) ex auditu seu reuelatione diuina. Tertullianus Apolog. cap. XXII sic *carpendi* verbo vsus est. *Dispositiones*, inquit, *Dei & tunc prophetis concionantibus* (dæmones) *exceperunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt.*

nolumus, eieramus) Io. Frid. Gronouius *eieramus* restituit Obseruat. Eccles. Script. cap. VII. *nolumus* reddidit MS. Vulgatum erat *violamus, peieramus.*

ligiosa nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam vetustam, tam vtilem, tam salubrem dissoluere, aut infirmare nitatur. Sit 2
licet ille Theodorus Cyrenæus, vel, qui prior, Diagoras Melius, cui Atheon cognomen apposuit antiquitas, qui vterque nullos deos adseuerando, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus sustulerunt: numquam tamen in hac impietatis disciplina simulatæ philosophiæ nomine atque auctoritate pollebunt. Quum Abderitem Pro- 3
tagoram Athenienses viri, inconsulte potius quam profane de diuinitate disputantem, & expulerint suis finibus, & in concione eius scripta

Cap. VIII. 2. *Theodorus Cyrenæus, vel qui prior Diagoras*) De vtroque diximus ad Lactantii lib. I Instit. cap. II ex Ciceronis de Nat. deor. lib. I cap. I & XXIII.

Abderitem Protagoram) Cicero dicto lib. I de Nat. deor. cap. XXIII *Abderites Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus, quum in principio libri sic posuisset,* DE DIVIS NEQVE VT SINT, NEQVE VT NON SINT, HABEO DICERE; *Atheniensium iussu vrbe atque agro est exterminatus, librique eius in concione combusti.*

deusserint; quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptæ actionis liberius exserentem) homines, inquam, deploratæ, inlicitæ, ac desperatæ factionis grassari in deos, non ingemiscendum est? qui de vl-
4 tima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ coniurationis instituunt: quæ nocturnis congregationibus, & ieiuniis solemnibus, & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo fœderantur. Latebrosa & lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula: templa, vt

inlicitæ) non tolerandæ.

desperatæ factionis) Lactantius lib. V cap. IX. sect. 12 *Qui magni æstimauerint fidem, cultoresque Dei non abnegauerint, in eos vero totis carnificinæ suæ viribus, veluti sanguinem sitiant, incumbunt, &* DESPERATOS *vocant, quia corpori suo minime parcunt.*

4. *nocturnis congregationibus*) Plinius ad Traianum de Christianis: *soliti stato die ante lucem conuenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere inuicem.* Tertullianus ad Vxorem cap. IV *nocturnas conuocationes* appellat.

inhumanis cibis) Sacramentum Christi non intelligentes horrenda de infanticidio, de sanguinis humani haustu fingebant.

5. *in publicum muta*) Ita MS. Vulgo, *publico.*

vt busta, despiciunt: deos despuunt,
rident sacra, miserantur miseri (si
fas est) sacerdotum: honores & pur-
puras despiciunt ipsi seminudi. Proh! 9
mira stultitia & incredibili audacia
spernunt tormenta præsentia, dum
incerta metuunt & futura: & dum
mori post mortem timent, interim
mori non timent. ita illis pauor &
fallax spes solatio rediuiuo blandi-
tur. Ac iam, vt fecundius nequio- IX
ra proueniunt, serpentibus in dies
perditis moribus, per vniuersum or-
bem sacraria ista teterrima impiæ coi-
tionis adolescunt. Eruenda prorsus 2
hæc, & exsecranda consensio. occultis
se notis & insignibus noscunt, & amant
mutuo pæne antequam nouerint: pas-
sim etiam inter eos velut quædam li-
bidi-

deos despuunt) simulacra deorum.

Cap. IX. 1. *per vniuersum orbem sacraria ista*) En Christi ecclesiam, etiam ante principum Christianorum tempora, per orbem disseminatam! Quod heic hostis fatetur, ad idem hostes Arnobius vocat lib. I pag. 33. *Si falsa*, inquit, *vt dicitis, historia illa rerum est, vnde tam breui tempore totus mundus ista religione completus est? aut in vnum coire qui potuerunt mentem gentes regionibus dissitæ, ventis cœli connexionibusque dimotæ?*

bidinum religio miſcetur: ac ſe pro-
miſcue appellant fratres & ſorores,
vt etiam non inſolens ſtuprum inter-
ceſſione ſacri nominis fiat inceſtum.
ita eorum vana & demens ſuperſti-
3 tio ſceleribus gloriatur. Nec de ipſis,
niſi ſubſiſteret veritas, maxime ne-
faria, & honore præfanda, ſagax fa-
4 ma loqueretur. Audio eos turpiſ-
ſimæ pecudis, caput aſini conſecra-
tum inepta neſcio qua perſuaſione
venerari: digna & nata religio tali-
bus moribus. alii eos ferunt ipſius
antiſtitis ac ſacerdotis colere genita-
lia, & quaſi parentis ſui adorare na-
5 turam. neſcio an falſa, certe occultis
ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio:
&

2. *fratres & ſorores*) profano more ex his nominibus, quæ ſacroſancta Chriſtianis ſunt, ſuſpicio ſtupri collecta. Martialis lib. II epigr. IV

Fratrem te vocat, & ſoror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?

4. *caput aſini conſecratum*) Iudæis obiectum a Tacito Hiſt. V cap. IV, quod *effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant* (agreſtium aſinorum gregem prædixerat) *penetrali ſacraſſent:* quum vero ex Iudæis Chriſtiani orti fuerint, in hos quoque manauit calumnia.

ſacerdotis colere genitalia) Nata ex eo ſuſpicio criminis & obtrectatio, quod pœnitentes ad antiſtitum genua aduolui animaduertebantur.

& qui hominem ſummo ſupplicio
pro facinore punitum, & crucis ligna
feralia, eorum cærimonias, fabula-
tur, congruentia perditis ſceleratiſ-
que tribuit altaria, vt id colant,
quod merentur. Iam de initiandis 6
tirunculis fabula tam deteſtanda quam
nota eſt. infans farre contectus, vt 7
decipiat incautos, apponitur ei qui
ſacris imbuitur. is infans a tirunculo
farris ſuperficie, quaſi ad innoxios
ictus prouocato, cæcis occultiſque
vulneribus occiditur: huius (proh ne-
fas) ſitienter ſanguinem lambunt: hu-
ius certatim membra diſpertiunt: hac
fœderantur hoſtia: hac conſcientia
ſceleris ad ſilentium mutuum pigne-
rantur. hæc ſacra ſacrilegiis omnibus 8
teteriora. Et de conuiuio notum
eſt, (paſſim omnes loquuntur) id
et-

5. *congruentia tribuunt altaria*) id eſt patibula & cruces, quas colant, & in quas ex merito, tanquam ſceleſtati, tollantur.

6. *infans farre contectus*) Impudentiſſima criminatio, quæ auctorem non habuit, niſi vt Tertullianus de hoc ipſo mendacio ait Apolog. cap. VII. *famam, nomen incerti.* Adde eiusdem cap. VIII, & noſtri Minucii cap. XXXI.

etiam Cirtenſis noſtri teſtatur oratio: ad epulas ſolemni die coeunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis
9 ætatis. illic poſt multas epulas, vbi conuiuium caluit, & inceſtæ libidinis feruor ebrietate exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ vltra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſo & exſtincto conſcio lumine impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuolunt per incertum ſortis, & ſi non omnes opera, conſcientia tamen pariter inceſti: quoniam voto vniuerſorum appetitur, quicquid accidere poteſt in actu ſingulo-
X rum. Multa prætereo conſulto. nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraque omnium vera declarat ipſius prauæ religionis obſcu-
2 ritas. Cur etenim occultare & abſcondere,

8. *Cirtenſis noſtri oratio*) Frontonis Cirtenſis, infra cap. XXX, qui Marci Antonini imperatoris in Latinis litteris præceptor fuit, *Eutrop.* VIII. *cap.* VI, vt interpretes fere conſentiunt.

9. *canis qui candelabro nexus eſt*) Tertullianus dicto loco explodit turpitudinem mendacii.

Cap. X. 2. *Cur etenim occultare & abſcondere*) Cauſ-

dere, quidquid illud colunt, magnopere nituntur, quum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? numquam palam loqui, nunquam libere congregari (sustinent), nisi illud, quod colunt & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum?
Vnde autem, vel quis ille, aut vbi 3
Deus vnicus, solitarius, destitutus: quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio nouerunt?
Iudæorum sola & misera genti- 4
litas vnum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, cærimoniisque coluerunt: cuius adeo nulla vis

sa non obscura, cur nocturnos cœtus amaverint Christiani prisci: quia palam & interdiu conuenire non licebat. Aderant enim illico qui notarent, qui raperent ad tyrannos vt damnarentur.

4. *sola & misera gentilitas*) Priscis GENTILITAS *agnatio* est. Vide Ciceronem de Oratore lib. I cap. XXXVIII. heic vero ipsa gens seu populus cognatus, vt Iudæi sunt Christianorum. Tertullianus de Anima cap. XXX *Aborigines nunc in suis sedibus permanent, & alibi amplius gentilitatem* (deductis coloniis) *fæneraverunt.*

vis nec poteſtas eſt, vt ſit Romanis
numinibus cum ſua ſibi natione ca-
5 ptiuus. At (etiam) Chriſtiani quæ-
nam monſtra, quæ portenta confin-
gunt? Deum illum ſuum, quem nec
oſtendere poſſunt, nec videre, in
omnium mores, actus omnium, ver-
ba denique & occultas cogitationes
diligenter inquirere? diſcurrentem
ſcilicet, atque vbique præſentem.
6 moleſtum illum volunt, inquietum,
impudenter etiam curioſum: ſiqui-
dem adſtat factis omnibus, locis omni-
bus intererrat: cum nec ſingulis in-
ſeruire poſſit per vniuerſa diſtrictus,
nec vniuerſis ſufficere in ſingulis oc-
7 cupatus. Quid? quod toti orbi, &
ipſi mundo cum ſideribus ſuis mi-
nantur incendium, ruinam moliun-
tur, quaſi aut naturæ diuinis legibus
con-

4. *Romanis numinibus cum ſua ſibi natione captiuus*) Cicero pro Flacco cap. XXVIII *Stantibus Hieroſolymis, pacatisque Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore huius imperii, grauitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis, quam cara diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſeruata.*

constitutus æternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium fœdere, & cœlesti compage diuisa, moles ista, qua continemur & cingimur, subruatur. Nec hac furiosa opi- XI
nione contenti, aniles fabulas adstruunt & adnectunt. renasci se ferunt post mortem, & cineres & fauillas: & nescio qua fiducia mendaciis suis inuicem credunt. putes eos iam reuixisse. anceps malum, & gemina 2
dementia! cœlo & astris, quæ sic relinquimus vt inuenimus, interitum denunciare: sibi mortuis & exstinctis, qui, sicut nascimur, & interimus, æternitatem repromittere. In- 3
de videlicet & exsecrantur rogos, & damnant ignium sepulturas. quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram resoluatur: nec intersit, vtrum feræ diripiant, an maria consumant: an humus contegat, an flamma subducat: quum cadaueribus

C omnis

Cap. XI. 3. *Inde exsecrantur rogos*) Non facilioris resurrectionis caussa, vt falso heic adfingitur; sed ob monita diuina, & exempla sanctorum, Christiani corpora mortuorum infodi, quam comburi, maluerunt.

omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit: si non sentiunt, ipsa conficiendi
4 celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam sibi, vt bonis, & perpetem vitam mortuis pollicentur: ceteris, vt iniustis, pœnam sempiternam.
5 Multa ad hæc suppetunt, ni festinet oratio. iniustos ipsos, magis nec laboro, iam docui: quamquam etsi iustos darem, culpam tamen vel innocentiam fato tribui sententiis plurimorum, & hæc vestra consensio est.
6 nam quidquid agimus, vt alii fato, ita vos Deo addicitis: sic sectæ vestræ non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non vo-
7 luntatem. Vellem tamen sciscitari, vtrumne sine corpore, an cum corporibus; & corporibus quibus, ipsisne, an innouatis, resurgatur. sine corpore? hoc, quod sciam, neque mens, neque anima, nec vita est. ipso corpore? sed iam ante dilapsum est. alio corpore? ergo homo nouus nascitur, non prior ille repara-
8 tur. & tamen tanta ætas abiit, sæcula innu-

8. *& tamen tanta ætas abiit, sæcula innumera*) Vul-

innumera fluxerunt, quis vnus vllus
ab inferis, vel Protesilai sorte, remea-
vit, horarum saltem permisso commeatu,
vel vt exemplo crederemus? Omnia 9
ista figmenta malesanæ opinionis: & in-
epta solatia, a poetis fallacibus in dul-
cedine carminis lusa, a vobis nimium
credulis in Deum vestrum turpiter re-
formata sunt. Nec saltem de præsenti- XII
bus capitis experimentum, quam vos
irritæ pollicitationis cassa vota decipi-
ant: quid post mortem impendeat, mi-

gare hoc paganorum contra resurrectionis fidem argumentum. Lactantius lib. VII cap. XXII sect. 10 *Nobis, de resurrectione adfirmantibus & docentibus, illud opponitur:* TOT IAM SAECVLA TRANSIERVNT: QVIS VMQVAM VNVS AB INFERIS RESVRREXIT, VT EXEMPLO EIVS FIERI POSSE CREDAMVS.

vel Protesilai sorte, horarum saltem permisso) In fabulis est, Achiuis responsum fuisse, qui primus litora Troianorum attigisset, periturum. Cunctantibus ceteris, Protesilaum prosiluisse, primumque ab Hectore interfectum esse. Quo audito, vxorem Laodamiam a diis petiisse, vt sibi cum eo tres horas colloqui liceret: reductum a Mercurio, sed finito colloquio iterum obiisse. *Hyginus Fab.* CIII. Laodamiæ huius epistolam ad Protesilaum finxit Ouidius, quæ in Heroidum est XIII.

ſeri, dum adhuc viuitis, æſtimatis.
2 Ecce pars veſtrum & maior & melior, vt dicitis, egetis, algetis, ope, re, fame, laboratis: & Deus patitur, diſſimulat, non vult, aut non poteſt opitulari ſuis. ita aut inualidus, aut iniquus eſt.
3 Tu qui immortalitatem poſtumam ſomnias, quum querquero quateris, quum febribus vreris, quum dolore laceraris, non tum conditionem tuam ſentis? non tum agnoſcis fragilitatem? inuitus, miſer, infirmitatis argueris, nec fateris?
4 Sed omitto communia.

XII. 2. *pars veſtrum & maior & melior*) Optimi Chriſtiani pauperes. Paupertate enim magiſtra Chriſti diſciplina ſtat: exſpirat in opum abundantia.

3. *quum querquero quateris*) algore & tremore. Pompeius Feſtus, aut interpolator Paullus: QVERQVERAM, *frigidam cum tremore*, *a Græco* κάρκηρα *certum eſt dici.* Addit ex Lucilio,

Querquera conſequitur febris, capitisq́; dolores. Gellius lib. XX cap. I *ægrotationem grauem cum febri rapida & quercera.* Eſt & apud Apuleium Apolog. *querquerum.* Legunt autem *querquero* apud Minucium Fr. Balduinus, Fulv. Vrſinus, & Io. Wovverus: contra, *periculo*, Heraldus & Rigaltius ex libris antiquis: quos ſequerer, ſi commodum videretur ad dicendum, *periculo quati*, præſertim hoc loco, & in tali nexu verborum.

nia. ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, & iam non adorandæ, sed subeundæ cruces: ignes etiam, quos & prædicitis, & timetis: vbi Deus ille, qui subuenire reuiuiscentibus potest, viuentibus non potest? Nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto, vestrique dominantur? vos vero suspensi interim atque solliciti honestis voluptatibus abstinetis. non spectacula visitis, non pompis interestis: conuiuia publica absque vobis; sacra certamina, præcerptos cibos, & delibatos altaribus

4. *& iam non adorandæ cruces*) Iulianus quoque apud Cyrillum lib. VI pag. 194 Christianis obiecit: τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, *Lignum crucis adoratis.*

5. *non pompis interestis*) quibus solemni formula in baptismo renuntiauerant. Tertullianus de Corona cap. III *Vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem; sed & aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius.*

præcerptos cibos) idolothyta, immolaticia, cibos, ex quibus diis pro more erat prælibatum. Tertullianus de Spectacul. cap. XIII *Non sacrificamus, neque de sacrificato edimus*, quia, qui edebant, vt Ambrosius ait in I Corinth. VIII comm. 7, *cum veneratione simulacri manducabant de sacrificatis.*

6 potus abhorretis. Sic reformidatis deos, quos negatis. non floribus caput nectitis; non corpus odoribus honestatis: reseruatis vnguenta funeribus: coronas etiam sepulcris denegatis, pallidi,

6. *non floribus caput nectitis*) Paganus hic ritus tam in sacrificiis, *Valer. Max. lib.* V. *cap.* X *ext.* 2. quam in sympofiis, *Idem lib.* VI *cap.* IX *ext.* & *Cic. Catil.* II *cap.* V. Vtrumque dedecebat Christianos: ideoque in vniuersum horrebant caput corona cingere. Lege Tertulliani librum de corona.

coronas etiam sepulcris denegatis) Primi Christiani abstinuerunt hoc ritu, ne quid commune cum nationibus haberent. Pagani enim sepulcra sertis ornabant. Propertius lib. III eleg. XVI.

Adferet huc vnguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit; custos ad mea busta sedens.

Et vetus poëta in Copa:

Quid cineri ingrato seruas bene olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi?

Hinc est quod inter crimina Christianis obiecta, Iustinus Martyr Apolog. II p. 68 refert, μὴ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς καὶ κνίσας, καὶ ἐν ταφαῖς (vt Meursius emendat) στεφάνους καὶ θυσίας φέρειν. Posteriores autem recesserunt ab hac simplicitate. Prudentius Cathemer. hymno X exsequiarum extremo:

Nos tecta fouebimus ossa
Violis & fronde frequenti:
Titulumque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

lidi, trepidi, misericordia digni & nostrorum deorum. ita nec resurgitis miseri, nec interim viuitis.
7 Proinde si quid sapientiæ vobis, aut verecundiæ est, desinite cœli plagas, & mundi fata & secreta rimari: satis est pro pedibus adspicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus: quibus non est datum intelligere ciuilia, multo magis denegatum
XIII est disserere diuina. Quamquam si philosophandi libido est, Socratem sapientiæ principem, quisquis vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. eius viri, quoties de cœlestibus

misericordia digni & nostrorum deorum) non nostra tantum, sed etiam illorum ipsorum, quos inimice insectamini & infestissimos reddidistis, nostrorum deorum. Sic Io. Fr. Gronouius, ὁ πάνυ, interpretatus est, restituto ET in locum vulgati SED *nostrorum deorum*; Observ. in Eccles. Script. cap. VII pag. 75.

7. *desinite cœli plagas & mundi fata rimari*) quod Christiani ex diuinis literis de interitu mundi prædicebant, & de æterna & cœlesti vita. Imitatur criminator poetæ verba apud Ciceronem de Diuinat. lib. II cap. XIII

Quod est ante pedes nemo spectat: cœli scrutantur plagas.

rogabatur, nota responsio est: QVOD SVPRA NOS, NIHIL AD NOS.
2 Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiæ singularis, quod (oraculum) idem ipse præsensit. idcirco vniuersis est præpositus; non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset: ita confessæ imperitiæ
3 summa prudentia est. Hoc fonte defluxit Arcesilæ, & multo post Carneadis, & Academicorum plurimorum in sum-

Cap. XIII. 1. QVOD SVPRA NOS, NIHIL AD NOS) Lactantius lib. III, cap. XX sect. 10 *Celebre hoc prouerbium Socrates habuit: Quod supra nos, nihil ad nos.* Adde quæ ibi notavimus.

2. *qui oraculum idem ipse præsensit*) Abest a MSS. *oraculum.* Gronouius *est præpositus,* legi iussit, vt ex inepto antea hic sensus emergat, iure oraculum ei primam prudentiæ laudem tribuere, quia ipse oraculum ante ediderat, quasi ex tripode locutus, *Hoc scire se, quod nihil sciat: &, quæ supra nos nihil ad nos.*

3. *Arcesilæ & multo post Carneadis*) Philosophi sunt Platonici, vterque caput suæ sectæ; ille Academiæ mediæ; hic nouæ siue tertiæ. Cicero de Oratore lib. III cap. XVIII *Arcesilas primum ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis hoc maxime adripuit, nihil esse certi quod aut sensibus aut animo percipi posset: quem ferunt primum instituisse, non, quid ipse sentiret, ostendere; sed contra id, quod quisque se sentire*

ſummis quæſtionibus tuta dubitatio; quo genere philoſophari & caute indocti poſſunt, & docti glorioſe. Quid? 4
Simonidis Melici nonne admiranda omnibus & ſectanda cunctatio? qui cum de eo, quid, & quales arbitraretur deos, ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diem petiit: poſtridie biduum prorogauit, mox alterum tantum admonitus adiunxit: poſtremo cum cauſſas tantæ 5
moræ tyrannus inquireret, reſpondit ille, quod ſibi, quanto inquiſitio tardior pergeret, tanto veri-

dixiſſet, diſputare. Hinc hæc recentior Academia emanauit, in qua exſtitit diuina quadam celeritate ingenii, dicendique copia Carneades. Quod vero dicit MVLTO POST, ex Ciceronis Academicis Quæſtionibus declaratur, quarum lib. I extremo, & lib. IV cap. VI tradit Carneadem *quartum ab Arceſila* fuiſſe. nam interceſſerunt tres huius ſcholæ rectores ſiue principes, Lycides, Euander, & Hegeſinus.

4. *Simonidis Melici*) Quæ de Simonidis cunctatione narrantur, hauſta ſunt ex Ciceronis de Nat. deor. lib. I cap. XXII. *Melicus* autem ſtudii cognomen, non patriæ. Ceus enim fuit Simonides. AElianus V. H. lib. XII cap. XXV Ἱέρων ὁ Δεινομένους, Σιμωνίδου τοῦ Κείου ἀπήλαυσε, *Hieron, Diomenis filius, vſus eſt Simonide Ceo.* Adde Platonis epiſt. II.

6 tas fieret obſcurior. Mea quoque opinione, quæ ſunt dubia, vt ſunt, relinquenda ſunt: nec, tot ac tantis viris deliberantibus, temere & audaciter in alteram partem ferenda ſententia eſt, ne aut anilis inducatur ſuperſtitio, aut omnis religio deſtruatur.

XIV Sic Cæcilius, & renidens (nam indignationis eius tumorem effuſæ orationis impetus relaxauerat) Ecquid ad hæc, ait, audet Octauius, homo Plautinæ proſapiæ, vt piſtorum præcipuus, ita

6. *audaciter*) Antiquam formam aduerbii reprehendit quidem Quintilianus lib. I cap. VI; at Priſcianus tuetur eam lib. XV ex Saluſtii fragmento Hiſt. I, & Ciceronis exemplo pro S. Roſc. cap. XXXVI *multa audaciter feciſti.* Quibus Liuium addo lib. XXII cap. XXV *audaciter ſe laturum de abrogando imperio.* Vide ibi Gronov.

Cap. XIV. 1. *& renidens*) & iam hilarior, laxata indignatione. Ouidius Metamorph. VIII. 195

puer Icarus vna
Stabat, &, ignarus ſua ſe tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga mouerat aura,
Captabat plumas.

ORE RENIDENTI, id eſt hilari vultu, lætabundus.

indignationis tumorem) Sic Statius Thebaid. I v. 411

iactis ſermonibus iræ
Intumuere ſatis.

homo Plautinæ proſapiæ) Ambigue dictum, nec

ita postremus philosophorum? Par- 2
ce, inquam, in eum plaudere. neque enim prius exsultare te dignum est concinnitate sermonis, quam vtrimque plenius fuerit peroratum; maxime quum non laude, sed veritate disceptatio vestra nitatur. Et 3
quamquam magnum in modum me subtili varietate tua delectauerit oratio, tamen altius moueor, non de praesenti actione, sed de toto genere disputandi: quod plerumque pro differentium viribus, & eloquentiae potestate, etiam perspicuae veritatis conditio mutetur. Id accidere per- 4
notum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio a rerum intentionibus auocantur, sine dilectu adsentiuntur dictis omnibus: nec a rectis falsa secernunt, nescientes inesse & in incredibili verum, & in verisimili mendacium. Itaque quo saepius adse- 5
vera-

tam ad vrbanitatem Plautinam respici videtur, quod in lapides effigiatos Caecilium impingere cap. III dixerat; quam ad pistrinum Plauti, qui pistori operam egestatis leuandae caussa locauerat, quod ex Varrone Gellius lib. III cap. III refert. Vnde, quid sit, intelliges, quod eumdem mox *pistorum* vocas *praecipuum*.

verationibus credunt, eo frequentius a peritioribus arguuntur: ſic aſſidue temeritate decepti, culpam iudices transferunt ad incerti querelam, vt ampliatis omnibus malint vniuerſa ſuſpendere, quam de fallacibus iudicare.
6 Igitur nobis prouidendum eſt, ne odio idemtidem ſermonum omnium laboremus: ita vt in exſecrationem & odium hominum plerique
7 ſimpliciores efferantur. Nam incaute creduli circumueniuntur ab his, quos bonos putauerunt: mox, errore conſimili iam ſuſpectis omnibus, vt improbos, metuunt etiam quos opti-
8 mos ſentire potuerunt. Nos proinde ſolliciti, quod vtrimque in omni negotio diſſeratur, & ex altera parte plerumque obſcura ſit veritas, ex altera lateat mira ſubtilitas, quæ nonnumquam vbertate dicendi, fidem confeſſæ probationis imitetur: diligenter, quantum poteſt,

5. *culpam iudices*) Meurſius *iudices:* B. Bald. *iudicis*, quæ vulgaris lectio: VVovver *iudicii*. *ampliatis omnibus*) Eiuſdem Meurſii eſt, quod conuenit cum inſequente verbo *ſuſpendere*. Vulgo *damnatis omnibus*.

8. *ex altera lateat*) Sic Rom. Fulv. Vrſin. & VVovverus: alii *ex altero latere*.

potest, singula ponderemus, vt argutias quidem laudare, ea vero quæ recta sunt, eligere, probare, suspicere possimus.

Decedis, inquit Cæcilius, officio iudicis religiosi. nam periniurium est, vires te actionis meæ intergressu grauissimæ disputationis infringere, cum Octauius integra & illibata habeat singula. Si potest refutari id quod criminaris, inquam, in commune, nisi fallor, compendium protuli, vt examine scrupuloso nostram sententiam non eloquentiæ tumore, sed rerum ipsarum soliditate libremus: nec auocanda, quod quereris, diutius intentio, cum toto silentio liceat responsionem Ianuarii nostri iam gestientis audire. XV 2 3

Et

Cap. XV. 2. *Si potest refutari id quod criminaris*) Locus suspectus. Heraldus incidit post *refutari*, & prioribus adnectit. MSS. *reputare* vel *reputari*.

eloquentiæ tumore) grandi stilo, tragicis verbis. Horatius Art. Poet. vers. 94

- - - - *tumido delitigat ore*

3. *Ianuarii nostri*) Octauii. Nomina enim disputantium, vt supra diximus, erant, Ianuarius

XVI Et Octauius: Dicam equidem, vt
potero, pro viribus; & adnitendum
tibi mecum est, vt conuiciorum ama-
rissimam labem verborum veracium
2 flumine diluamus. Nec dissimulabo,
principio ita Natalis mei errantem,
vagam, lubricam nutasse sententiam,
vt sit nobis ambigendum, vtrum sua
eruditio turbata sit, an vacillauerit
per errorem. nam interim deos cre-
dere, interim se deliberare variauit,
vt, propositionis incerto, certior re-
sponsionis nostræ intentio fundare-
3 tur. Sed in Natali meo versutiam
nolo, non credo: procul est ab eius
sim-

Octauius, Christianus: Cæcilius Natalis, paganus: quibus arbiter Marcus Minucius Felix intercessit.

Cap. XVI. 1. *verborum flumine*) Quidam *lumine*, minus apte, & contra vim verbi, quod sequitur, *diluamus*. MS. F. Vrsini etiam *flumine*; & Meursius cum Wovvero. Cicero de Nat. deor. lib. II cap. VII *Orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur*.

2. *vtrum sua oratio turbata sit*) Ouzel. & Sabæus *tua*, forte metuentes sibi a pronominum reciprocorum lege. Non cohæret, quia de Natali Octauius tamquam tertio loquitur. Et alii boni auctores interdum negligunt grammaticorum de reciprocatione regulam.

ſimplicitate ſubtilis vrbanitas.' Quid 4
igitur? vt qui rectam viam neſcit;
vbi, vt fit, in plures vna diffinditur,
hæret anxius, nec ſingulas audet eli-
gere, nec vniuerſas probare: ſic cui
non eſt veri ſtabile iudicium, prout
infida ſuſpicio ſpargitur, ita eius du-
bia opinio diſſipatur. Nullum itaque 5
miraculum eſt, ſi Cæcilius itemtidem
in contrariis ac repugnantibus iacte-
tur æſtu & fluctuetur: quod ne fiat
vlterius, conuincam, & redarguam,
quamuis diuerſa ſint quæ dicta ſunt,
vna veritate confirmata probataque:
nec dubitandum ei de cetero eſt, nec
vagandum. Et quoniam meus frater 6
erupit ægre ſe ferre, ſtomachari, in-
dignari, dolere, illiteratos, pauperes, im-
peritos, de rebus cœleſtibus diſputare;
ſciat omnes homines ſine delectu ætatis,
ſexus, dignitatis, rationis & ſenſus capa-
ces

4. *diffinditur*) Fuluius & Rigaltius *diffunditur*. Hic etiam addit e MSS. quia viam neſcit.

5. *iactetur æſtu & fluctuetur*) Meurſ. & Wovv. *æſtuet, fluctuetur*.

6. *meus frater erupit*) non' ſimpliciter *dixit*, ſed cum vehementia & indignatione, quam cohibere irritatus non potuit, quin erumperet.

ces & habiles procreatos: nec fortuna nactos, ſed natura indeptos eſſe ſapientiam: quin ipſos etiam philoſophos, vel ſi qui alii artium repertores in memorias exierunt, priuſquam ſollertia mentis parerent nominis claritatem, habitos eſſe plebeios, in-
7 doctos, ſeminudos. at vero diuites facultatibus ſuis illigatos, magis aurum ſuſpicere conſueſſe quam cœlum: noſtrates pauperes, & commentos eſſe prudentiam, & tradidiſſe ceteris di-
8 ſciplinam. Vnde apparet, ingenium non dari facultatibus, nec ſtudio parari, ſed cum ipſa mentis formatione
9 generari. Nihil itaque indignandum, vel dolendum, ſi quicumque de diuinis quærat, ſentiat, proferat; quum non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur: atque etiam quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt:

quoniam

in memorias exierunt) clari facti ſunt & famam conſequuti. Plinius Panegyr. cap. LV *Ibit in ſæcula fuiſſe principem, cui florenti & incolumi numquam niſi modici honores, ſæpius nulli decernerentur.* Et Silius lib. XII verſ. 312

factoque in ſæcula ituro
Lætantur tribuiſſe locum.

quoniam non fucatur pompa facundiæ
& gratiæ, sed, vt est, recti regula
sustinetur. Nec recuso, quod Cæci- XVII
lius adserere inter præcipua connixus
est, hominem nosse se & circumspice-
re debere, quid sit, vnde sit, quare
sit, vtrum elementis concretus, an
concinnatus atomis, an potius a Deo
factus, formatus, animatus. Quod 2
ipsum explorare, & eruere, sine vni-
versitatis inquisitione non possumus,
quum ita cohærentia, connexa, con-
catenata sint, vt nisi diuinitatis
rationem diligenter excusseris, ne-
scias humanitatis: nec possis pul-
chre gerere rem ciuilem, nisi cog-
noueris hanc communem omnium
mundi ciuitatem: præcipue quum 3

9. *non fucatur pompa facundiæ*) Arnobius lib. I. pag. 35. dixit *pompam sermonis*. Et Cassiodorus lib. XI epist. I *Romani eloquii pompa resplendet*. Elmenhorstius addit Ambrosium, quasi nostrum imitatus in Luc. XV comm. 16. etiam *facundiæ pompam* dixerit; sed *pompa* in verbis eius cum alio cohæret. *Quodam*, inquit, *sonoro facundiæ plausu pompam magis, quam vtilitatem aliquam demonstrantes*. Nihilominus nostri dictionem explicatiorem reddit, & forte ex penu Minucii depromtum est.

a feris belluis hoc differamus, quod
illa prona, in terramque vergentia,
nihil nata ſint proſpicere, niſi pabu-
lum: nos quibus vultus erectus, qui-
bus ſuſpectus in cœlum datus eſt, ſer-
mo & ratio, per quæ Deum agnoſci-
mus, ſentimus, imitamur, ignorare
nec fas nec licet ingerentem ſeſe ocu-
lis & ſenſibus noſtris cœleſtem clarita-
4 tem. Sacrilegii enim vel maximi in-
ſtar eſt, humi quærere, quod in ſub-
limi debeas inuenire. Quo magis
mihi videntur, qui hunc mundi to-
tius ornatum non diuina ratione per-
fectum volunt, ſed fruſtis quibusdam
temere cohærentibus conglobatum;
mentem, ſenſum, oculos denique
5 ipſos non habere. Quid enim poteſt
eſſe tam apertum, tam confeſſum,
tamque perſpicuum, quum oculos in
cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra
circaque luſtraueris, quam eſſe ali-
quod numen præſtantiſſimæ mentis,
quo

Cap. XVII. 3. *quum illa prona, in terramque v.*) Reſpexit ad Salluſtii verba, initio B. Catilinarii, *pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit.* Ouidii vox de hoc notiſſima.

4. *fruſtis quibusdam temere cohærentibus*) fruſtis ex atomorum concurſione.

quo omnis natura inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum 6
vide quam late tenditur, quam rapide voluitur, vel quod in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod in diem ſole luſtratur: iam ſcies, quam ſit in eo ſummi moderatoris mira & diuina libratio. 7
Vide & annum vt ſolis ambitus faciat: & menſem vide vt luna auctu, ſenio, labore circumagat. quid tenebrarum & luminis dicam recurſantes vices, vt ſit nobis operis & quietis alterna reparatio? Relinquenda vero aſtrologis pro- 8
lixior de ſideribus oratio, vel quod regant curſum nauigandi, vel quod arandi metendique tempus inducant: quæ ſingula non modo vt crearentur,

D 2 fie-

6. *mira & diuina libratio*) æquatio motus cœleſtis, quæ omnino a Deo eſt. *Libratio* alias, & *perlibratio*, Vitruuii vocabula in aquæ ductuum argumento, lib. VIII cap. VI.

7. *vt luna auctu, ſenio, labore*) SENIVM decreſcentis lunæ eſt. Plinius lib. VII cap. XLVIII *Annum alii æſtate vnum determinabant, & alterum hieme: alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam lunæ ſenio, vt Aegyptii.* LABOR eſt eclipſis. Virgilius Georg. II verſ. 478

Defectus ſolis varios, lunæque labores.

fierent, diſponerentur, ſummi opificis & perfectæ rationis eguerunt: verum etiam ſentiri, perſpici, intelligi, ſine ſumma ſollertia & ratione non poſſunt.
9 Quid? quum ordo temporum hac frugum ſtabili varietate diſtinguitur, nonne auctorem ſuum parentemque teſtatur? ver æque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni maturitas grata, & hiberna oliuitas neceſſaria: qui ordo facile turbaretur, niſi
10 maxima ratione conſiſteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hiems ſola glacie vreret, aut ſola æſtas ardore torreret, autu-

9. *hiberna oliuitas neceſſaria*) maturitas & meſſis oliuarum, quæ ſub hiemem cadit, non quidem grata eſt, vt ver cum floribus, æſtas cum ſuis meſſibus; eſt autem neceſſaria. Columella lib. XII cap. L. ineunte: *Media eſt oliuitas plerumque initium menſis Decembris.*

10. *glacie vreret*) VRENDI verbum de *frigore* Latini dicunt. Ouidius Triſt. lib. III eleg. II verſ. 8

Vſtus ab aſſiduo frigore Pontus --

Silius Italicus lib. IV verſ. 68

Hoſtem miles habes fractum, ambuſtumque niuoſis
Cautibus, atque ægre torpentia membra trahentem.

Nec ita ſoli poetæ, ſed hiſtorici etiam. Liuius

autumni & veris inserere medium temperamentum, vt per vestigia sua anni reuertentis occulti & innoxii transitus laberentur. Mari intende, 11
lege litoris stringitur: quidquid arborum est, vide, quam e terræ visceribus animatur: adspice Oceanum, refluit reciprocis æstibus: vide fontes, manant venis perennibus: fluuios intuere, eunt semper exercitis lapsibus.
Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? quidue animantium loquar aduersus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, & fundatas vngulis, & spicatas aculeis: aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. 12
Ipsa præcipue formæ nostræ pulchritudo 13

lib. LX cap. XLV *Hiems arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deusserat cunctas.* Curtius lib. VII cap. III *Multos exanimauit rigor insolitus niuis: multorum adussit pedes.*

12. *recta montium*) Græca dicendi consuetudo, nec vero Latinis ingrata. Sic Curtius lib. V cap. III sect. 18 *prona montium:* Solinus cap. de Italia, *portuosa laterum:* & Liuius lib. XXV cap. XV extr. SVBITA BELLI: Tacitus Hist. IV cap. LXXXI *certa maris*, dixerunt.

tudo Deum fatetur artificem, ſtatus
rigidus, vultus erectus, oculi in ſum-
mo, velut in ſpecula, conſtituti, &
omnes ceteri ſenſus velut in arce
XVIII compoſiti. Longum eſt ire per ſin-
gula: nihil in homine membrorum
eſt, quod non & neceſſitatis cauſſa
ſit, & decoris: & quod magis mirum
eſt, eadem figura omnibus, ſed quæ-
dam vnicuique lineamenta deflexa.
ſic & ſimiles vniuerſi videmur, & in-
ter ſe ſinguli diſſimiles inuenimur.
2 Quid naſcendi ratio, quid cupido ge-
nerandi? nonne a Deo data eſt? & vt
vbera partu matureſcente lacteſcant,
& vt tener fœtus vbertate lactei ro-
3 ris adoleſcat? Nec vniuerſitati ſolum-
modo Deus, ſed & partibus conſulit.
Bri-

13. *oculi in ſummo, velut in ſpecula*) Ciceronem videtur reſpexiſſe, qui lib. II. Nat. deor. cap. LVI ita tradit: *Oculi, tamquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent: ex quo plurima conſpicientes fungantur ſuo munere.*

Cap.XVIII.3. *ſolummodo*) Mirum, quum idem ſonet, & eodem modo formetur, quo *tantummodo*, vix tamen aliquem Latinorum, præter eccleſiaſticos, vſum eſſe aduerbio *ſolummodo*, ſi Plinium XXXIV cap. VIII ſub finem exceperis, de cuius tamen loci ſinceritate nolim ego ſponſor eſſe. Vſus & Vlpianus, Lege de penu legata: ſed forte Tribonianiſmus eſt, quem-

Britannia ſole deficitur, ſed circumfluentis maris tepore recreatur: Aegypti ſiccitatem temperat Nilus: colit Euphrates Meſopotamiam, Indus & ſerere Orientem dicitur, & rigare. Quod 4
ſi ingreſſus aliquam domum, omnia exculta, diſpoſita, ornata vidiſſes; vtique præeſſe ei crederes dominum, & illis bonis rebus multo eſſe meliorem: ita in hac mundi domo, quum cœlum

admodum fine eiusdem legis vir ſummus Barnabas Briſſonius de voce *indeuotio* iudicauit. Plura Curis noſtris Poſterioribus.

Britannia ſole deficitur) quia hæc Galliæ, & magis Italiæ, in ſeptemtrionem obuerſa eſt. DEFICITVR, paſſiue, ex vſu veterum. Cæſar. Civ. III cap. LXIV *quum graui vulnere eſſet adfectus aquilifer, & viribus deficeretur.* Ouidius Heroid. epiſt. V. verſ. 150

Deficior prudens artis ab arte mea.

Columella lib. IV cap. XXX ineunte, *quibus ſi deficitur agricola.* Et Suetonius Aug. cap. LXXXIV *quamuis non deficeretur.*

circumfluentis maris tepore) Cicero lib. II. de Nat. deor. cap. X *Maria agitata ventis ita tepeſcunt, vt intelligi facile poſſit, in tantis illis humoribus incluſum eſſe calorem.*

Aegypti ſiccitatem temperat Nilus) Vide præter multos alios Plinii Panegyricum cap. XXX.

Colit Euphrates Meſopotamiam) Lege Curtium lib. V cap. I. ſect. 12. 15.

terramque perspicias, prouidentiam, ordinem, legem; crede esse vniuersitatis dominum parentemque ipsis sideribus & totius mundi partibus pulchriorem.
5 rem. Ni forte, quoniam de prouidentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, vtrum vnius imperio, an arbitrio plurimorum cœleste regnum gubernetur: quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla vtique de cœlo: quando vnquam regni societas aut cum
6 fide cœpit, aut sine cruore desiit? Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum; & Thebanorum par-

5. *quibus exempla vtique de cœlo*) subaudi *sunt*. *quando vnquam regni societas*) Ennius apud Ciceronem de Offic. lib. I cap. VIII dicit.

Nulla sancta societas nec fides regni est.

Plura passim huius argumenti leguntur. Seneca Thyeste vers. 444

non capit regnum duos:

& Agamemnone vers. 259

Non regna socium ferre, nec tædæ sciunt.

6. *Omitto Persas de equorum hinnitu*) Vide Iustin. lib. I cap. X.

Thebanorum par mortuum, fabulam) Manu scripti libri *permortuam fabulam*. Vnde Rigaltius, Meursiusque fecerunt *par mortuum*, Eteoclem

par mortuum, fabulam transeo: ob pastorum & casæ regnum de geminis historia notissima est: generi & soceri bella toto orbe diffusa sunt: & tam magni imperii duos fortuna non cepit. Vide cetera: rex vnus apibus, 7
dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus: tu in cœlo summam potestatem diuidi credas, & scindi veri illius ac diuini imperii totam potestatem? quum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere, nec terminum: qui natiuitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem: qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo: qui vniuersa, quæcunque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec 8
vide-

& Polynicem, Oedipi filios, quibus regnum alternis annis moderandum pater reliquerat: post primum vero Eteoclis annum, quum Polynices successurus esset, famosum illud bellum Thebanum exarsit, quo duo hi fratres se mutuo interfecerunt. *Hyginus fab.* LXVII, LXVIII.

de geminis historia) Romulo & Remo.

generi & soceri bella) Pompeii & Cæsaris, quorum illi parem ferre, huic superiorem, graue erat. *Flor.* IV. cap. II. & *Lucan. lib.* I *verf.* 125.

8. *Hic nec videri potest; visu clarior est*) Prudentius passione Romani vers. 311 seqq. hoc præclare

videri poteſt; viſu clarior eſt: nec comprehendi; tactu prior eſt: nec æſtimari; ſenſibus maior eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus, quantus eſt notus: nobis vero ad intellectum pectus anguſtum eſt: & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum
9 inæſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio, magnitudinem Dei, qui ſe putat noſſe, minuit: qui non vult minuere, non nouit. nec nomen Dei quæras: Deus nomen eſt. illic vocabulis opus eſt, quum per ſingulos propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt.
10 Deo, qui ſolus eſt, DEI vocabulum totum eſt. quem ſi patrem dixero, terrenum opineris: ſi regem, carnalem ſuſpiceris: ſi dominum, intelliges vtique mortalem. Aufer additamenta nominum, & perſpicies eius claritatem.
11 Quid? quod omnium de iſto habeo conſenſum. Audio vulgus, quum ad

his verbis ediſſeruit:

Deus perennis, res inæſtimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur:
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi viſibus noſtris valet,
Extraque & intus implet ac ſuperfluit.

ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam DEVM dicunt: &, DEVS MAGNVS EST: &, DEVS VERVS EST: &, SI DEVS DEDERIT. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? & qui Iouem principem volunt, falluntur in nomine, sed de vna potestate consentiunt.
Audio poëtas quoque vnum patrem XIX
diuum atque hominum prædicantes, & talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium Deus indu-
xerit. Quid Mantuanus Maro? non- 2
ne apertius, proximius, verius? *Principio* (ait) *cœlum, & terras*, & cetera mundi membra *spiritus intus alit, &*
infusa mens agitat. Inde hominum pe- 3
cudumque genus, & quidquid aliud animalium. Idem alio loco mentem istam & spiritum Deum nominat. Hæc enim eius verba sunt:

— Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.

Vnde

II. DEVM *dicunt*) vid. Tertull. Apol. cap. XVII.
Cap. XIX. 2 *Principio, ait, cœlum*) lib. VI Aeneid. a versu 724.
3. *Idem alio loco*) lib. IV Georgicor. vers. 221.

vnde homines, & pecudes, vnde imber, & ignes.
4 Quid aliud & a nobis Deus, quam mens, & ratio, & spiritus prædicatur? Recenseamus, si placet, disciplinam philosophorum, deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc vnam coire & conspirare sententiam.
5 Omitto illos rudes & veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de cœlestibus disputauit. Is Milesius Thales rerum initium aquam dixit: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formauerit. Vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Sed altior & sublimior

5. *qui primus omnium de cœlestibus.*) Lactantius lib. I Institut. cap. V sect. 16 *Thales Milesius, qui vnus e septem sapientum numero fuit, quique primus omnium quæsisse de caussis naturalibus traditur; aquam esse dicit, ex qua nata sunt omnia.*

Deum autem eam mentem, quæ ex aqua) Hæc ibidem Lactantius, ex nostro hausta, adposuit: Quæst. cap. XXXVII, qui, *Thales*, inquit, *ex aqua dixit constare omnia.*

Sed altior & sublimior aquæ & spiritus ratio) Hæc verba Christianorum παλιγγενεσίαν spirant,

mior aquæ & ſpiritus ratio, quam vt ab homine potuerit inueniri, a Deo tradita. Anaximenes deinceps, & poſt 6
Apolloniates Diogenes, aera Deum ſtatuunt, infinitum & immenſum. Horum quoque ſimilis de diuinitate conſenſio eſt. Anaxagoræ vero deſcri- 7
ptio & modus, infinitæ mentis Deus dicitur. Et Pythagoræ Deus eſt animus, per vniuerſam rerum naturam commeans, & intentus: ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xe- 8
nophanem notum eſt, omne infinitum

quæ poſt *cuncta formauerit*, inſerta erant, loco plane alieno. Niſi ergo pii hominis gloſſema, quod e margine irrepſerit, dicemus; cum ſummo viro Io. Fr. Gronouio Obſerv. in. Eccleſ. Script. cap. VII p. 80 huc deducamus.

6. *Anaximenes & poſt Apolloniates*) Cicero lib. I. Nat. deor. cap. X *Anaximenes aera Deum eſſe ſtatuit.* Adde Lactantium d. l. ſect. 19. De Diogene Apolloniate ibidem Cicero cap. XII *Quid aer, quo Diogenes Apolloniates vtitur Deo, quem ſenſum habere poteſt, aut quam formam Dei?*

7. *Anaxagoræ deſcriptio & modus*) Ex Ciceronis lib. I Nat. deor. cap. XI depromtum.

commeans & intentus) Ciceronis verba de Pythagoræ ſententia, ex dicto cap. XI lib. I N. D.

8. *Xenophanem*) Xenophanes Colophonius gene-

tum cum mente Deum tradere: & Antisthenem, populares deos multos, sed naturalem vnum præcipuum: Speusippum, vim naturalem, animalem, qua omnia regantur, Deum nosse.
9 Quid Democritus? quamuis atomorum primus inuentor, nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat, & intelligentiam, Deum loquitur? Straton quoque & ipse naturam: etiam Epicu-

re, princeps disciplinæ Megaricorum, *Cic.* IV. *Acad. cap.* XLII.

infinitum cum mente, Deum) Ciceronis & hæc sunt sæpe dicto lib. I. Nat. deor. cap. XI. *Xenophanes*, inquit, *mente adiuncta, omne præterea, quod esset infinitum, Deum voluit esse.*

Antisthenem populares deos multos) Cicero ibidem cap. XIII.

Speusippum, vim naturalem) Eodem cap. XIII *Speusippus Platonem auunculum subsequens, & vim quamdam dicens, qua omnia regantur, eamque animalem, euellere ex animis conatur cognitionem deorum.*

9. *naturam quæ imagines fundat*) Ciceronem cap. XII lib. I de Nat. deor. etiam hoc loco Minucius sequutus est. *Democritus*, inquit, *tum imagines, earumque circuitus in deorum numero refert; tum illam naturam, quæ imagines fundat ac mittat; tum scientiam intelligentiamque nostram:* id quod *maximum* ibi *errorem* vocat.

Straton quoque & ipse naturam) Strato Lampsacenus, auditor Theophrasti, ὁ Φυσικὸς appella-

Epicurus ille, qui deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat, & adsignat tamen vnam potestatem. Nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. 10 Heraclides Ponticus quoque Deo diuinam mentem, quamuis varie, adscribit. Theophrastus, & Zenon, & 11 Chrysippus & Cleanthes, sunt & ipsi multiformes, sed ad vnitatem prouiden-

tus, *omnem vim diuinam in natura sitam esse censet, quæ caussas gignendi, augendi, minuendi habeat, sed careat omni sensu & figura.* Cicero ibidem cap. XIII.

Aristoteles variat) ibidem.

10. *Heraclides Ponticus*) ex Platonis schola progressus.

quamuis varie) Vide Ciceronem eodem cap. XIII, quamuis & ibi varie in diuersis codicibus legatur.

11. *[illegible]rastus & Zenon*) ille auditor Aristotelis, [illegible] in schola successor: hic princeps Stoicorum.

Chrysippus & Cleanthes) Chrysippus Stoicus, Cleanthis successor; Cleanthes successor Zenonis. Chrysippus dixit, *vim diuinam in ratione esse positam, & vniuerso naturæ animo atque mente: ipsumque mundum Deum esse.* Cicero dicto lib. I. N. D. cap. XV. De Cleanthe ibidem cap. XIIII.

dentiæ omnes reuoluuntur. Cleanthes enim mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem
12 Deum disseruit. Zenon, eiusdem magister, naturalem legem atque diuinam, & æthera interim, interdumque rationem, vult omnium esse principium. Idem interpretando Iunonem aëra, Iouem cœlum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, & ceteros similiter vulgi deos elementa esse monstrando, publicum arguit grauiter & reuincit er-
13 rorem. Eadem fere Chrysippus, vim diuinam, rationalem naturam, & mundum interim, & fatalem necessitatem Deum credit: Zenonemque interpretatione physiologiæ in Hesiodi, Homeri

plerumque rationem Deum disseruit) Cicero d. l. *nihil ratione censet esse diuinius.*

12. *interpretando Iunonem aëra*) Lege Ciceronem ibidem cap. XIV. Tertullianus egregie adv. Marcion. lib. I cap. XIII *Ipsa vulgaris superstitio communis idololatriæ quum in simulacris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Iouem in substantiam feruidam, & Iunonem eius in aëriam, Vestam in ignem, & Camenas in aquas, & Magnam matrem in terram.*

meri, Orpheique carminibus imitatur.
Babylonio etiam Diogeni disciplina est 14
exponendi & disserendi, Iouis partum,
& ortum Mineruæ, & hoc genus, rerum
vocabula esse, non deorum. Nam So- 15
craticus Xenophon formam Dei veri
negat videri posse, & ideo quæri non
oportere. Aristo Chius, comprehendi
omnino non posse. vterque maiestatem
Dei, intelligendi desperatione, sense-
runt. Platoni apertior de Deo, & re- 16
bus ipsis, & nominibus oratio est: &
quæ tota esset cœlestis, nisi persuasionis
ciuilis nonnumquam admixtione sor-
desceret. Platoni itaque in Timæo 17

14. *Babylonio Diogeni*) Librum ille inscripserat *de Minerua*, quo partum Iouis ad physiologiam traducens, deiunxit a fabula. *Cicer. dicto lib.* I N. D. *cap.* XV.

15. *Socraticus Xenophon*) qui quatuor libros ἀπομνημάτων, de Dictis Socratis composuit, quorum quarto libro p. 467 ea scripsit, quæ ad Lactantii librum de Ira cap. XI sect. XIII adlegauimus.

Aristo Chius) Stoicus, Zenonis discipulus, cuius errorem Cicero dicto loco cap. XIV perstringit, quod *neque formam Dei intelligi posse censeat, neque in diis sensum esse dicat: dubitetque omnino, Deus animans, nec ne sit.*

17. *Platoni itaque in Timæo*) Ad hæc Platonis verba etiam Lactantius lib. I Instit. Div. cap.

Deus eſt ipſo nomine mundi parens,
artifex animæ, cœleſtium terrenorum-
que fabricator: quem & inuenire dif-
ficile præ nimia & incredibili poteſta-
te, &, quum inueneris, in publi-
18 cum dicere impoſſibile præfatur. Ea-
dem fere iſta quæ & noſtra ſunt. nam
& Deum nouimus, & parentem om-
nium dicimus, & numquam publice,
XX niſi interrogati, prædicamus. Expo-
ſui opiniones omnium ferme philoſo-
phorum, quibus illuſtrior gloria eſt,
Deum vnum multis licet deſignaſſe
nominibus: vt quiuis arbitretur aut
nunc Chriſtianos philoſophos eſſe,
aut philoſophos fuiſſe iam tunc Chri-
2 ſtianos. Quodſi prouidentia mundus
regitur, & vnius Dei nutu guberna-
tur, non nos debet antiquitas impe-
ritorum, fabellis ſuis delectata vel
capta, ad errorem mutui rapere con-
ſenſus: quum philoſophorum ſuorum
ſententiis refellatur, quibus & rationis
3 & vetuſtatis adſiſtit auctoritas. Maio-
ribus

VIII ineunte prouocat. Græca ſunt pag. 477 ed. Baſil. τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, hoc eſt, *opificem & patrem mundi inuenire difficile: inuentum vulgo eloqui, impoſſibile eſt.*

ribus enim noſtris tam facilis in mendaciis fides fuit, vt temere crediderint etiam alia monſtroſa miracula: Scyllam multiplicem, chimæram multiformem, & hydram felicibus vulneribus renaſcentem, & Centauros, equos ſuis hominibus implexos: & quidquid famæ licet

E 2 fin-

Cap. XX. 3. *Scyllam multiplicem*) quia fingunt poetæ ſex capita, duodecim pedes habere. Homerus Odyſſ. M verſ. 89.

Τῆς ἤτοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα πάντες ἄωροι,
Ἓξ δέ τε οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάστῃ
Σμερδαλέη κεφαλή, ἐν δὲ τρίστοιχοι ὀδόντες.

Hoc eſt: *Huius vtique pedes ſunt duodecim, omnes fœdi: ſex autem illi colla prælonga, in ſingulis autem horrendum caput inerat, & tres ordines dentium.* Quid ſit proprie, & vnde fabula nata, oſtendit Tzetzes ad Lycophron. verſ. 45.

Chimæram multiformem) leonis, draconis & capræ habentem formas. Idem Homerus Iliad. Z v. 181

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,

Id eſt, *Ante leo, poſt draco, media capra biberna.* Quamobrem *triformem Chimæram* Horatius dixit lib. I oda XXVII: & Hygino fab. LVII auctore *tripartito ore flammas ſpirare* ferebatur.

hydram renaſcentem) Lernæam ab Hercule confectam.

Centauros, equos ſuis hominibus implexos) Theſſaliæ populus Centauri, pars Lapitharum, auctores equeſtris militiæ. Manilius lib. IV verſ. 108 de ſidere Centauri;

duplici

4 fingere, illis erat libenter audire. quid
illas aniles fabulas, de hominibus
aues, de feris homines, & de hominibus arbores atque flores? quæ ſi eſſent facta, fierent quæ fieri non poſ-
5 ſunt; ideo nec facta ſunt. Similiter
ac vero erga deos quoque maiores noſtri improuidi, creduli, rudi ſimplicitate crediderunt: dum reges ſuos colunt religioſe, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere: ſacra facta ſunt quæ fue-
6 rant adſumpta ſolatia. Denique an-
tequam commerciis orbis pateret, & antequam gentes ritus ſuos moresque miſcerent, vnaquæque natio conditorem ſuum, aut ducem inclutum, aut reginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicuius muneris vel artis repertorem venerabatur, vt ciuem bonæ memoriæ. ſic & defunctis præmium, &
XXI futuris dabatur exemplum. Lege Stoi-
corum ſcripta, (vel ſcripta ſapientium) eadem mecum recognoſces, ob merita virtu-

duplici Centaurus imagine fulget,
Pars hominis, tergo pectus commiſſus equino.

6. *muneris vel artis repertorem*) Lege Lactantium lib. I Inſtitut. cap. XI ſect. 45, & cap. XV ſect. 2.

virtutis aut muneris deos habitos. Euhemerus exſequitur & eorum natales, 2
patrias, ſepulcra dinumerat, & per provincias monſtrat: Dictæi Iouis, & Apollinis Delphici, & Phariæ Iſidis, & Cereris Eleuſinæ. -- adſumtos in deos loquitur, qui errando inuentis nouis (frugibus) vtilitati hominum profuere. In 3
eamdem ſententiam & Perſæus philoſophatur, & adnectit inuentas fruges &

Cap. XXI. 2. *Euhemerus exſequitur*) Euhemerus, antiquus ſcriptor, hiſtoriam deorum compoſuerat, quam vertit vel exſcripſit Ennius *Lactant.* I *cap.* XI *ſect.* 33. *cap.* XIII. *ſect.* 14.

Dictæi Iouis) Cretenſis, a Dicta vel Dictæo, Cretæ monte. Sepulcrum Iouis Lactantius lib. I cap. XI ſect. 46 deſcripſit.

Phariæ Iſidis) Aegyptii numinis, quæ antea Io, Inachi filia. *Lactant. ibid. ſect.* 20. Qui mythologiam naturaliter interpretantur, de *Terra* intelligunt. Vide Macrob. Saturn. I cap. XX.

Cereris Eleuſinæ) Supra cap. VI ſect.

adſumptos) quibusdam videtur nomen deeſſe.

Perſæus philoſophatur) Perſæus (ſic ſcribit diphthongo Laertius in Zenone, Περσαῖος, alii *Perſeus*) Zenonis diſcipulus, & ipſe Cittieus genere. de hoc Cicero lib. I Nat. deor. cap. XV *Perſæus, Zenonis auditor, eos dicit eſſe habitos deos, a quibus magna vtilitas ad vitæ cultum eſſet inuenta: ipſasque res vtiles & ſalutares, deorum eſſe vocabulis nuncupatas.*

frugum ipsarum repertores iisdem nominibus, vt Comicus sermo est, Venerem
4 sine Libero & Cerere frigere. Alexander ille magnus Macedo insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum: ille Vulcanum facit omnium principem, & po-
5 stea Iouis gentem. Dispice Isidis ad hirun-

4. *Alexander ille magnus Macedo*) Vocem *Macedo* abundare VVovverus iudicat, deceptus cetera cum Athenagora *Apolog.* Cypriano *idol. van.* & Augustino *Civ. D.* VIII *cap.* V & XXVII, dum Macedoni Magno tribuunt, quod haud dubie Alexandri polyhistoris est, qui *Cornelii* nomen, Suida teste, adsumsit a Cornelio Lentulo, cui, captiuus Syllanis temporibus, venditus fuerat, post manu missus; Milesius Suidæ, Stephano in Ethnicis Cotyaeus ex Phrygia ἐπικτήτῳ. Is enim præter infinita alia scripsit Αἰγυπτιακὰ, auctore eodem Byzantio chorographo in Τευτυρίς. Tertullianus de Pallio cap. III *Cedo iam de vestro, quod Aegyptii narrant, & Alexander digerit, & mater legit.* MATER, Salmasio Isis est: Rigaltio, huius polyhistoris.

3. *Isidis ad hirundinem, sistrum*) Sistrum crepitaculum in sacris Isiacis. Ausonius epist. XXV ad Paullinum vers. 22.

Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.

Quid vero *ad hirundinem?* an auis in Isiacis insignibus? an serpens, quæ *chelidonia* Græce, Nilo propria, quod contendit Salmasius ad So-

rundinem, ſiſtrum, & diſperſis membris
inanem tui Serapidis ſiue Oſiridis tu-
mulum. conſidera denique ſacra ipſa & 6
myſteria: inuenies exitus triſtes, fata,
& funera, & luctus atque planctus mi-
ſerorum deorum. Iſis perditum filium 7
cum Cynocephalo ſuo & caluis ſacer-

lin. p. 243? Serpens ſane in putidis illis ſacris ſiue ſignis memoratur. Ouidius Metamorph. IX verſ. 692

Siſtraque erant, numquamque ſatis quaeſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.

5. *diſperſis membris inanem tumulum*) Oſiris, qui idem Serapis, a Typhone fratre interfectus, & in fruſta, quæ diſperſit ille, conciſus, Iſide vxore operam dante, plura ſepulcra nactus eſt, ſed inania, quum vix vni, quod occultabatur, collecta fruſta, quæ ſupererant, inferri potuerint. *Diodor. Sicul. lib.* I *cap.* XXI. Hinc religio ad tumulum Serapidis.

7. *cum Cynocephalo ſuo*) In monſtroſis Aegyptiorum diis erat etiam *Anubis* canino capite. Virgilius XIII Aeneid. verſ. 698

Omnigenumque deum monſtra, & latrator Anubis.

Lucanus lib. VIII verſ. 832

Semideosque canes, & ſiſtra iubentia luctus
Et quem tu plangens hominem teſtaris Oſirim.

Heic vero videtur primus ſacerdotum Anubis, aut qui monſtroſum ſimulacrum quærentibus præferebat, ſignificari. nam mox de ipſo; *inuentor gloriatur.*

dotibus luget, plangit, inquirit, & Isiaci miseri cædunt pectora, & dolorem infelicissimæ matris imitantur. mox invento paruulo gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur: nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt, vel inuenire
8 quod perdunt. Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? hæc tamen Aegyptia quondam,
9 nunc & sacra Romana sunt. Ceres facibus accensis, & serpente circumdata, erro-

& caluis sacerdotibus) Ludouicus Carrio Emend. II cap. XVIII restituit, quum vulgo legeretur *aliis*. Calui autem Isidos sacerdotes. Martialis lib. XII epigram. XXIX

Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba.

Et Prudentius lib. I adv. Symmach. V. 630

Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica ridendaque suis solemnia caluis.

9. *Ceres facibus accensis*) in monte Aetna, vt noctes æque ac dies filiam raptam quæreret. Ouidius Fastor. IV vers. 493 de Aetna:

Illic accendit geminas pro lampade pinus.

Et Prudentius Romano vers. 236

Facem recincta veste prætendit Ceres.

serpente circumdata) Sic regius cod. M. S. adfirmante Heraldo. Vulgo *circumlata*, id est circumuecta. nam Ouidius d. l. vers. 497. de Cerere:

frenatos curribus angues
Iungit, & æquoreas sicca pererrat aquas.

errore ſubreptam, & corruptam Liberam anxia & ſollicita veſtigat. hæc ſunt Eleuſinia. At quæ Iouis ſacra ſunt? nutrix capella eſt, & auido patri ſubtrahitur infans, ne voretur: & Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur. Cybelen Dyndimenam pudet dicere, quæ adulterum ſuum infeliciter placitum, quoniam & ipſa de-

10 (beside "Eleuſinia. At quæ Iouis ſacra ſunt? nutrix") · 11 (beside "nitus eliditur. Cybelen Dyndimenam")

E 5 for-

Liberam anxia veſtigat) LIBERAM, Proſerpinam. Ciceto in Verr. VI cap. XLVIII *Vetus eſt hæc opinio, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Liberæ conſecratam:* & interiectis paucis: *& raptam eſſe Liberam, quam eamdem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore.*

hæc ſunt Eleuſinia) ſacra, cærimoniæ, myſteria.

10. *nutrix capella*) Amalthæa. Callimachus hymno in Iouem v. 48

σὺ δ' ἐθύσαο πίονα μαζὸν
Αἰγὸς Ἀμαλθείης.

hoc eſt: *Tu autem traxiſti pingue vber capræ Amalthea.* Scholiaſtes ibi: Ἀμαλθείης. Οὕτως ἐκαλεῖτο ἡ Αἶξ τὸν Δία θρέψασα. Lactantius lib. I cap. XXI ſect. 38 *Capella eſt Amalthea nymphæ*, diſtinguens Amaltheam a capella.

Corybantum cymbalis) Ouidius Faſt. IV verſ. 210. Hyginus fab. CXXXIX. Lactantius lib. I cap. XIII ſect. 4.

11. *Cybelen Dyndimenam*) Dyndimus mons Phrygiæ, imminens vrbi Peſſinunti: a quo Δυνδιμηνὴ Magna mater. *Strab. lib.* XII *pag. 190.* & alius huius nominis prope Cyzicum, cum eiusdem diuæ fano, *ibid. p. 196.*

formis, & vetula, vt multorum deorum
mater, ad ſtuprum inlicere non poterat,
exſecuit, vt deum ſcilicet faceret
12 eunuchum. Propter hanc fabulam Galli
eam & ſemiuiri ſui corporis ſupplicio
colunt. hæc iam non ſunt ſacra: tormenta
ſunt. Quid formæ ipſæ, & ha-
13 bitus? nonne arguunt ludibria & dedecora
deorum veſtrorum? Vulcanus claudus
deus, & debilis: Apollo tot ætatibus
læuis: Aeſculapius bene barbatus,
etſi ſemper adoleſcentis Apollinis filius:
Neptunus glaucis oculis, Minerua
cæſiis, bubulis Iuno, pedibus Mercurius
alatis, Pan vngulatis, Saturnus compedi-

12. *Galli eam & ſemiuiri*) GALLI, exſecti Cybeles ſacerdotes, dicti a Gallo Phrygiæ fluuio, qui

Inter -- viridem Cybelen altasque Celænas
Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua,

Ouidius Faſt. IV verſ. 363.

13. *Aeſculapius bene barbatus*) Phallicus poeta carmine XXXVI

Intonſa ſemper Aeſculapio barba eſt.

Vnde ludibrium Dionyſii, tyranni Siculi, qui *Aeſculapii Epidauri barbam auream demi iuſſit. neque enim conuenire barbatum eſſe filium, quum in omnibus fanis pater imberbis eſſet.* Cicero III Nat. deor. cap. XXXIV.

Pan vngulatis) Silius lib. XIII verſ. 326 ſeqq. habitum Panis deſcripſit: de pedibus ſic,

peditis: Ianus vero frontes duas gestat, quasi & auersus incedat. Diana interim 14
est alte succincta venatrix: & Ephesia mammis multis & vberibus exstructa: & Triuia trinis capitibus, & multis manibus horrifica. Quid ipse Iuppiter ve- 15
ster? modo imberbis statuitur, modo barba-

Vix vlla inscribens terræ vestigia cornu.
& post paullo, versu 338
Cornipedem tulerit præcisa per auia plantam.

Ephesia mammis multis & vberibus) Hieronymus procemio in Epistol. ad Ephesios: *Scribebat* (Paulus) *ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet; sed illam multimammiam, quam Græci* πολύμαστον *vocant, vt scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum & viuentium esse nutricem.*

& Triuia trinis capitibus) TRIVIA Diana dicta secundum Varronem lib. VI de LL cap. II *quod in triuio ponitur fere in oppidis Græcis.* Poëtæ triformem cognominant. Horatius lib. III oda XXII in Dianam, *Diua triformis.* Virgilius Aeneid. IV vers. 511
Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

& multis manibus horrifica) Talis cernitur in veteri nummo, quem doctissimus vir Nic. Rigaltius apud Io. Bapt. Altinum vidit.

15. *modo imberbis statuitur*) vt in nummo Valeriani: & simulacrum ἐκ εἶχον πωγένεια, *imberbe*, apud Pausaniam Eliac. I cap. XXIV, & Achaic. cap. XXIII Ouidius Fast. III vers. 437
Iuppiter est iuuenis, iuueniles adspice vultus,
quem *Veiouem* appellauerunt.

barbatus locatur: & quum Ammon dicitur, habet cornua: & quum Capitolinus, tunc gerit fulmina: & quum Latiaris, cruore perfunditur: & quum Feretrius, opimis induitur. Et ne longius multos Ioues obeam, tot sunt Iouis
16 monstra, quot nomina. Erigone suspensa de laqueo est, vt Virgo inter astra

modo barbatus locatur) Sic in plerisque nummis. Prudentius passione Romani vers. 271.

Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Iouis circumplicat.

quum Ammon dicitur habet cornua) Vide nummum ab Isaaco Vossio ad Pomponium Melam pag. 34 expressum. Lucanus lib. IX vers. 512 de Ammonis oraculo:

- - - - Stat corniger illic
Iuppiter, vt memorant, sed non aut fulmina vibrans
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

opimis induitur) Gronouii coniectura est. Vulgo, *non auditur*, quod nihil est. *Opima* autem simpliciter, sine *spoliorum* adiecto vocabulo, sic dici, ad Curtium lib. III cap. XI, & Plinii Panegyr. cap. XVII probauimus. Addo Silium lib. III vers. 587 in Iouis oratione:

gratusque mihi Marcellus opimis.

Et lib. XII vers. 280

ferret quum victor opima tonanti.

16 *Erigone suspensa de laqueo*) Erigone, Icarii filia. Fabula est apud Hyginum CXXX. Variae veterum de origine Virginis cœlestis opiniones, quam alii Iouis, alii Astræi filiam, alii

ſtra ignita ſit. Caſtores alternis moriuntur, vt viuant: Aeſculapius, vt in deum ſurgat, fulminatur: Hercules, vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. Has fabulas & errores & ab imperitis parentibus diſcimus, &, quod eſt grauius, ipſis ſtudiis & diſciplinis elaboramus, carminibus præcipue poetarum XXII

Icarii dixere. Vide Theonem ſcholiaſten in Arati verſum 98.

Caſtores alternis moriuntur) Pollux, Iouis filius, fingitur alternam diuinitatem fratri Caſtori, mortali parente genitio, impetraſſe. Dixi plura ad Silii Italici lib. IX verſum 295

Alternusque animæ mutato Caſtore Pollux.

Adde Seruium ad Aeneid. VI verſum 121

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Aeſculapius fulminatur) quia Hippolytum in vitam reuocauerat, quod ne pluribus præſtaret, accuſatum a Plutone Iuppiter fingitur fulmine proſtrauiſſe. *Diodor. Sicul. lib.* IV *lib.* LXXIII Apollodorus lib. III cap. X ſect. 4 inuidiæ Iouis tribuit, ne alios medendi artem doceret, ideoque ἐκεραύνωσεν αὐτὸν, *fulmine ipſum interfeciſſe.* Eratoſthenes in Cataſteriſmis ſcribit in aſtra relatum Ophiuchum vocari, idque feciſſe Iouem χαριζόμενον Ἀπόλλωνι, *in gratiam Apollinis* genitoris.

Oetæis ignibus concrematur) ignibus in monte Oeta, qui in finibus Theſſaliæ eſt & Herculis rogo nobilitatus. Vide Ouidium Metamorph. IX verſ. 204. Senecam in Hercule Oetæo.

tarum, qui permirum quantum veri-
2 tati ipsi sua auctoritate nocuere. Et Plato ideo præclare Homerum illum inclutum, laudatum & coronatum, de ciuitate, quam in sermone instituebat,
3 eiecit. Hic enim præcipuus bello Troico deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus & actibus miscuit. hic eorum paria composuit, sauciauit Venerem, Martem vinxit, vulnerauit,
4 fugauit. Iouem narrat a Briareo liberatum,

Cap. XXII. 2. *quam in sermone instituebat, eiecit*) IN SERMONE, in dialogo II de Republica p. 389. Vbi enim de iis dixerat, quæ Homerus & Hesiodus de diis suis tradiderant; ait, ὗτοι οἱ λόγοι χαλεποὶ, καὶ ὐ̓ εκτέλοι ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει, ὐ̓δὲ λεκτέον νέῳ ἀκὐ̓οντι.

2. *eorum paria composuit*) gladiatorium verbum. Vide quæ diximus ad Ciceronis lib. II ep. VIII.

sauciauit Venerem) scripsit *Iliad.* E *vers.* 336 Venerem a Diomede vulneratam esse, quod ipse Diomedes apud Virgilium Aen. XI vers. 177 fatetur, *Veneris violaui vulnere dextram.*

Martem vinxit) scripsit Martem ab Oto & Ephialte gigantibus vinctum & tredecim mensibus in vinculis detentum fuisse, *Iliad.* E *vers.* 385.

4. *Iouem narrat a Briareo liberatum*) Iliados A vers. 399 seqq. vbi Didymum lege. Briareum autem gigantem, qui & Aegæon est, Thetis Ioui auxilio adduxit, quum Iuno, Neptunus, Pallas,

tum, ne a diis ceteris ligaretur: & Sar-
pedonem filium, quoniam morti non
poterat eripere, cruentis imbribus fle-
visse: & cesto Veneris inlectum, fla-
grantius, quam in adulteras soleat, cum
Iunone vxore concumbere. Alibi Her-
5 cules stercora egerit, & Apollo Adme-
to pecus pascit: Laomedonti vero mu-
ros Neptunus instituit, nec mercedem
operis

& Apollo ipsum vincturi essent. Hunc postea, quum cœlum cum sociis oppugnaret, Iuppiter sub Aetnam montem deiecit. *Virgil.* X *vers.* 565, *& Callimach. hymno in Delum v.* 141.

& Sarpedonem filium) Sarpedonem filium Iouis, regem Lyciæ, bello Troiano a Patroclo interfectum. *Iliad.* II *v.* 433 *seqq.*

cruentis imbribus fleuisse) Homerus dicto libro v. 459.

> Αἱματοέσσας δὲ ψιάδας κατέχευεν
> ἔραζε,

id est, *sanguineas guttas defudit in terram.*

& cesto Veneris) Κεστὸν ἱμάντα Homerus vocat Iliad. Ξ vers. 214,

> ἔνθ' οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο,

cui omnes illecebræ sint inditæ.

5. *& Hercules stercora egerit*) purgando stabulum Augeæ, regis Eleorum, *Bausan. Eliac.* I *cap.* I, *Diodor. Sicul. lib.* IV *cap.* XIII. Dixi plura ad Cunæi Orat. p. 611.

Apollo Admeto pecus pascit) turpis amoris caussa. Vide quæ diximus ad Lactantii lib. I. cap. X sect. 3. Admetus rex Pthiotidis.

Laomedonti muros Neptunus) Hygin. fab. LXXXIX Lactant. d. l.

operis infelix ſtructor accipit: illic Vulcanus Iouis fulmen cum Aeneæ armis in incude fabricatur: quum cœlum & fulmina & fulgura longe ante fuerint, quam Iuppiter in Creta naſceretur: & flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec
6 ipſe Iuppiter non vereri. Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum? & in Ganymedem Iouis ſtuprum cœlo conſecratum? quæ omnia in hoc prodita, vt vitiis hominum quædam auctoritas pararetur.
7 His atque huiusmodi figmentis & mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum: &, iisdem fabulis inhærentibus, adusque ſummæ
8 ætatis robur adoleſcunt: & in iisdem opinionibus miſeri conſeneſcunt: quum ſit veritas obuia, ſed requirentibus.

Vulcanus Iouis fulmen cum Aenea armis) Virgilius Aen. VIII verſ. 426 ſeqq.

nec Cyclops) Cyclopes, gigantes, in Vulcani officina adminiſtri, Brontes, Steropes, Pyracmon. *Aeneid.* VIII *verſ.* 425.

6. *Martis & Veneris adulterium*) Hyginus fabula CXLVIII. Ouid. Metam. I v. 171.

in Ganymedem Iouis ſtuprum) Apollodorus lib. II cap. V ſect. 9. Ouidius Metam. lib. X fab. IV.

bus. Saturnum enim principem huius 8
generis & examinis omnes ſcriptores
vetuſtatis, Græci Romanique, hominem
prodiderunt. Scit hoc Nepos, & Caſſius in hiſtoria, & Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus
Creta profugus, Italiam metu filii ſævientis acceſſit, & Iani ſuſceptus hoſpitio rudes illos homines & agreſtes multa docuit, vt Græculus & politus, litteras inprimere, nummos ſignare, inſtrumenta conficere. Itaque latebram ſuam, quod tuto latuiſſet, vocari maluit 10
La-

8. *Nepos & Caſſius in hiſtoria*) Cornelius Nepos in Chronicorum libris, qui vna cum Caſſii Seueri hiſtoriis interierunt. Hos auctores de Saturni regno citat etiam Tertullianus Apolog. cap. X, Lactantius lib. I cap. XIII ſect. 8.

Thallus ac Diodorus) Diodorus Siculus lib. III. cap. LXI. Thalli autem nihil ſupereſt præter nomen apud laudatos ſcriptores, & Euſebium Præp. Euang. lib. X cap. X ex Africano. Eclipſin patiente Chriſto quæ accidit, inter alia notauit. Vide Scalig. in Euſeb. p. 186.

9. *Italiam acceſſit*) Ouidius Faſt. I. verſ. 233. *rudes illos homines*) Virgilius VIII. 321 ſeq. *nummos ſignare*) Tertullianus Apolog. cap. X *Ab ipſo* (Saturno) *primum tabulæ, & imagine ſignatus nummus, & inde ærario præſidet.* Mirum in tam rudi antiquitate!

Latium: & vrbem Saturniam de suo no-
mine; & Ianiculum Ianus, ad memo-
riam vterque posteritatis reliquerunt.
11 Homo igitur vtique qui fugit; homo
vtique qui latuit; & pater hominis, &
natus ex homine. terræ enim & cœli fi-
lius, quod apud Italos esset ignotis pa-
rentibus, proditus: vt in hodiernum
inopinato visos, cœlo missos: ignobiles
12 & ignotos, terræ filios nominamus. eius
filius Iuppiter Cretæ, excluso parente,
regnauit, illic obiit, illic filios habuit,
adhuc antrum Iouis visitur, & sepul-
crum

10. *& vrbem Saturniam*) In monte Saturnio, qui postea *Tarpeius*, tandem a Capitolio, quod impositum est, *Capitolinus* dictus fuit. Varro L. L. lib. IV cap. VII *Antiquum oppidum in hoc* (monte) *fuisse Saturniam scribitur. Eius vestigia etiam nunc manent tria.* Virgilius lib. VII vers. 37

Hanc Ianus pater; hanc Saturnus condidit urbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

11. *inopinato missos, cœlo missos*) Tibulli distichon lib. I eleg. III vers. 89 cum hoc componit Muretus Var. lect. XIII cap. VII,

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar cœlo missus adesse tibi.

ignobiles & ignotos terræ filios) Vide Ciceron. lib. VII epist. IX ad Trebatium.

12. *antrum Iouis visitur, & sepulcrum eius*) Pompe-

crum eius ostenditur, & ipsis sacris suis humanitatis arguitur. Otiosum est ire per singulos, & totam seriem generis istius explicare, quum in primis parentibus probata mortalitas, in ceteros ipso ordine successionis influxerit. nisi forte post mortem deos fingitis, & peierante Proculo deus Romulus, & Iuba Mauris volentibus deus est, & diui ceteri reges, qui consecrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis. Inuitis denique hoc nomen adscri-

XXIII

2

3

F 2 bitur:

nius Mela lib. II cap. VII de Creta: *multis famigerata fabulis: - - - maxime tamen eo, quod ibi sepulti Iouis pæne clarum vestigium sepulcrum est, cui nomen eius insculptum esse accolæ ostendunt.* Inscriptionem sepulcri exhibet Lactantius lib. I. Instit. cap. XI sect. 46

Cap. XXIII. 2. *peierante Proculo*) Iulius Proculus senator populo fidem fecit, Romulum ad deos excessisse. *Liuius lib.* I *cap.* XVI, *Flor.* I *cap.* I.

Iuba Mauris volentibus deus est) Nec Iuba rex Maurorum fuit, sed Numidarum, vt in Hist. Antiq. probauimus; neque si fuisset, crederem, victum a Cæsare ad Thapsum, & desperatis rebus sibi manus inferentem, a suis facile consecratum fuisse. Mauris vero hunc ritum Tertullianus dat Apolog. cap. XXIV. *Vnicuique*, inquit, *prouinciæ & ciuitati suus deus est, vt Syria Astartes, - - - vt Mauritania reguli sui.* Et Lactantius lib. I cap. XV *Romani Cæsares suos consecrauerunt, & Mauri reges suos.*

bitur: optant in homine perseuerare:
fieri se deos metuunt, &, etiamsi se-
4 nes, nolunt. Ergo nec de mortuis
dii sunt, quoniam Deus mori non
potest: nec de natis, quoniam mori-
tur omne quod nascitur. diuinum
autem id est, quod nec ortum habet,
5 nec occasum. Cur enim si nati sunt,
non hodieque nascuntur? nisi forte
iam Iuppiter senuit, & partus in Iu-
none defecit: & Minerua canuit an-
tequam peperit. An ideo cessauit ista
generatio, quoniam nulla huiusmodi
6 fabulis præbetur adsensio? Ceterum
si dii creari possent, interire non pos-
sent: plures totis hominibus deos ha-
beremus, vt iam eos nec cœlum con-
tineret, nec aer caperet, nec terra ge-
staret. Vnde manifestum est, homi-
nes illos fuisse, quos & natos legimus,
7 & mortuos scimus. Quis ergo dubi-
tat horum imagines consecratas vulgus
orare, & publice colere? dum opinio
& mens imperitorum artis concinnitate
decipitur, auri fulgore præstringitur,
argen-

5. *nisi forte iam Iuppiter senuit*) Vide lepida verba Senecæ apud Lactantium lib. I cap. XVI.

argenti nitore & candore eboris hebetatur? Quod si in animum quis inducat, tormentis quibus, & quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem ab artifice, vt deum faceret, illusam. Deus 9
enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur: & deus æreus vel argenteus, de immundo vasculo, vt sæpius factum Aegyptio regi, conflatur, tunditur malleis, in incudibus figura-

 tur:

9. *Infelicis stipitis portio*) Propertius lib. IV eleg. II Vertumni verbis:

Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in vrbe deus.

Adde Horatii principium satyræ VIII lib. I.

de immundo vasculo) Idem Romanus martyr apud Prudentium pagano iudici obiecit v. 298

Quæ dis ineptus obtulisti talibus
Quos trulla, peluis, cantharus, sartagines,
Fracta & liquata contulerunt vascula.

sæpius factum Aegyptio regi) Rex Aegyptius Amasis, vt ab natalium se ignobilitate vindicaret, ex sordidi vsus vase aureo (ποδανιπτὴρ χρύσεος vocatur) ἄγαλμα δαίμονος, *simulacrum dei* cuiusdam curauit fieri, idque in celebri loco positum quum omnes venerarentur, vnde conflatum esset ostendit, vt exemplo demonstraret, originis vilitatem non debere regis honori officere. *Herodotus lib.* II *cap.* CLXXII.

tur: & lapideus, cæditur, ſcalpitur, & ab impurato homine læuigatur: nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriam, ita vt nec poſtea de veſtra veneratione culturam: niſi forte nondum deus ſaxum eſt, vel lignum, vel argentum. Quando igitur hic naſcitur? ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur; nondum deus eſt: ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur; nec adhuc deus eſt: ecce ornatur, conſecratur, oratur; tunc poſtremo deus eſt, quum homo ille voluit, & dedicauit.

XXIV Quanto verius de diis veſtris animalia muta naturaliter iudicant, mures, hirundines, milui: non ſentire eos ſciunt, rodunt, inſultant, inſident: ac niſi abigatis, in ipſo dei veſtri ore nidificant. Araneæ vero faciem eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis: &

ab impurato homine) ſcelerato, impio, vitiis operto, quales ſæpe peritiſſimi ſunt opifices ſimulacrorum. Horum vanitatem etiam Iuſtinus martyr Apologia II pag. 57 ab artificum impietate probat, ὅτι οἱ τούτων τεχνῖται ἀσελγεῖς τε καὶ πᾶσαν ἀδικίαν ἔχουσι. Cæterum, vox *impuratus* ex MS eſt, etiam comico probata, qui Phormione act. IV ſc. III verſ. 64 *impuratusne ille?* & act. V ſc. VII verſ. 69 *Tum hunc impuratum poterimus noſtro modo vlciſci.*

& illos, quos facitis, protegitis & timetis: dum vnusquisque vestrum non co- 3
gitat, prius se debere Deum nosse, quam colere: dum inconsulte gestiunt parentibus obedire: dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere: dum nihil ex his quæ timent, norunt: sic in auro & argento auaritia consecrata est: sic statuarum inanium consignata forma: sic nata Romana superstitio.
Quorum ritus si percenseas, ridenda 4
quam multa, multa etiam miseranda sunt. Nudi cruda hieme discurrunt, pelles cædunt: alii incedunt pileati, scu-

Cap. XXIV. 4. *Nudi cruda hieme discurrunt*) Luperci scilicet. Ouidius Fast. lib. II vers. 257

Tertia post idus nudos aurora Lupercos
Adspicit:

de quibus & impudentia eorum plura Plutarchus tradit in Antonio pag. 921. *Lupercalia*, festus ille impurorum sacrorum dies, xv Kalend. Mart. Vide Cicer. Philipp. II cap. XXXIV, & quæ nos ibi.

pelles cædunt) Retraho verba, vulgo post *circumferunt* posita, in hunc locum cum VVovvero. Sunt enim Lupercorum pelles, qui quamuis cetera nudi fuerunt, tamen περιεζωσμένοι τὴν αἰδῶ ταῖς δοραῖς τῶν νεοθύτων, discurrebant, *Dionys. Halicarn. lib. I pag. 67.* Etiam σκύτεσι λευκοῖς, *pelliceis loris* cædebant obuios. *Plutarch. Antonio p. 921.*

ta vetera circumferunt, mendicantes vicatim deos ducunt. Quædam fana ſemel anno adire permittunt, quædam in

alii incedunt pileati, ſcuta vetera) Salii quorum pilei, etiam ceterorum flaminum, faſtigati erant, inde *apices* dicti. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II pag. 129 de Saliis: τὰς καλουμένας ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα κωνοειδὲς, *geſtant capitibus, quos vocant* APICES, *pileos faſtigatos in coni formam.* Et Liuius lib. I cap. XX de Numa: *Salios* XII *Marti Gradiuo legit --- cæleſtiaque arma, quæ ancilia adpellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis ſolemnique ſaltatu iuſſit.*

mendicantes vicatim deos ducunt) Diuerſarum religionum, Cybeles & Iſidos erat, per ſacerdotes ſtipem quærere. De hac Suidas in Ἀγείρει· τῇ θεῷ ἀγείρων καὶ ἀναγκαίας τροφὰς, λιμοῦ φάρμακα, ἀγαπητῶς λαμβάνων, *Deæ ſtipem colligens, & neceſſaria alimenta, famis remedium, libenter colligens.* Hoc qui faciunt, ibi vocantur οἱ τῆς Ἴσιδος θεραπευτῆρες. Mendicantibus Cybeles ſacerdotibus, quos inde μητραγύρτας vocabant, negat Antiſthenes apud Clementem Alexandrinum Protrept. ad Gent. pag. 49 his verbis: Οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν. Hinc eſt quod Tertullianus Apolog. cap. XLII. dicit: *Non ſufficimus & hominibus & diis veſtris mendicantibus opem ferre.*

5. *quædam fana ſemel anno adire*) In Cereris & Proſerpinæ fanum apud Arcades feminis τὸν

in totum nefas visere est, quædam viro non licet, nonnulla absque feminis sacra sunt: etiam seruo quibusdam cærimoniis interesse piaculare flagitium est. alia sacra coronat vniuira, alia mul-

πάντα ἐςὶν ἔσοδος χρόνον, *omni tempore aditus patebat:* οἱ δὲ ἄνδρες ȣ̓ πλέον ἢ ἅπαξ κατὰ ἔτος ἕκαςον ἐς αὐτὸ ἐσιᾶσι, *viris quotannis duntaxat semel.* Pausanias Arcad. cap. XXXI. Thebis etiam Dindymenæ, quæ Mater deorum est, sacrarium μιᾷ ἐφ' ἑκάςων ἐτῶν ἡμέρα τὸ ἱερὸν ἀνοίγειν νομίζȣσιν, *tantum vno quotannis die aperire fas fuit.* Idem Bœot. cap. XXV.

in totum annum nefas visere) Tale erat Neptuni templum Mantineæ. ἔσοδος δὲ ἀνθρώποις ȣ̈τε τότε ἐς αὐτὸ ἦν, ȣ̈τε ἄχρι ἡμῶν ἐςιν. Pausanias Arcad. cap. V.

quædam viro non licet) sacra Bonæ deæ, Cereris & Vestæ. Lactant. lib. III cap. XX sect. 4. vbi tres diuas has coniungit. De Bona dea separatim Cicero Arusp. resp. cap. XVII. De Cerere Catanensi & Ennensi, Verrin. VI cap. XLV & XLIX.

absque feminis sacra) Herculis scilicet. Gellius lib. XI cap. VI *mulieres Herculaneo sacrificio abstinent.* Caussam adfert Macrobius Saturn. I. cap. XII.

seruo quibusdam cærimoniis interesse) cærimoniis sacrorum Herculis, cuius neglectionem in Appio & Potitiis punitam tradunt Liuius IX cap. XXIX, & Valer. Maximus lib. I. cap. I. num. 17.

sacra coronat vniuira) Tertullianus de Monogam.

tiuira, & magna religione conquiritur,
quæ plura possit adulteria numerare.
6 Quid? qui sanguine suo libat, & vulneribus suis supplicat, non profanus melius esset, quam sic religiosus? aut cui testa sunt obscena demessa, quomodo deum violat, qui hoc modo placat? quum si eunuchos Deus vellet, posset
7 procreare, non facere. Quis non intelligat male sanos, & vanæ & perditæ mentis in ista desipere, & ipsam errantium turbam mutua sibi patrocinia præstare? heic defensio communis furoris
XXV est furentium multitudo. At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundauit imperium, quum non tam vir-

cap. XVII. *Fortunæ muliebri coronam non imponit, nisi vniuira; sicut nec matri Matutæ.*
quæ plura possit adulteria) Huius generis abominanda sacra fuerunt τὰ τῆς Ἀναΐτιδος apud Armenios. Vide Strab. lib. XI extremo, & Eustath. ad Periegetæ v. 846.

6. *sanguine suo libant*) Cybeles sacerdotes. Tertullianus Apolog. cap. XVII *Archigallus sanctissimus sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat.* Prudentius Romano v. 1061

Cultrum in lacertos exserit fanaticus,
Sectisque Matrem brachiis placat deam.

aut cui testa sunt demessa) semiuiri galli, Cybeles sacerdotis descriptio. Supra cap. XXI.

virtute, quam religione & pietate pollerent. nimirum insignis & nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. 2
Nonne in ortu suo & scelere collecti, & muniti immanitatis suæ terrore creuerunt? nam asylo prima plebs congregata est: confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores: & vt ipse Romulus, imperator & rector, populum suum facinore præcelleret, parricidium fecit. Hæc prima sunt auspicia religiosæ ciuitatis. mox alienas virgines iam desponsatas, iam destinatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violauit, illusit: & cum earum parentibus (id est cum soceris suis) bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius? Iam finitimos agro pellere, ciuitates proximas euertere cum templis & alta- 3 4

 ri-

Cap. XXV. 2. *parricidium fecit*) fratrem Remum interficiendo.

3. *sine more rapuit*) Respexit ad illud Maronis Aeneid. VIII vers. 635

raptas sine more Sabinas.

ribus: captos cogere, damnis alienis &
ſuis ſceleribus adoleſcere, cum Romu-
lo, regibus ceteris, & poſtumis ducibus
diſciplina communis eſt. ita quidquid
Romani tenent, colunt, poſſident, au-
5 daciæ præda eſt. templa omnia de ma-
nubiis, id eſt de ruinis vrbium, de ſpoliis
deorum, de cædibus ſacerdotum. hoc
inſultare & illudere eſt, victis religioni-
bus ſeruire, & captiuas eas poſt victo-
rias adorare. nam adorare quæ manu
ceperis, ſacrilegium eſt conſecrare, non
6 numina. Toties ergo a Romanis im-
piatum eſt, quoties triumphatum: tot
de diis ſpolia, quot de gentibus & tro-
7 pæa. Igitur Romani non ideo tanti,
quod religioſi; ſed quod impune ſacri-
legi. neque enim potuerunt in ipſis
bellis

5. *templa omnia de manubiis*) Florus de Tarquinio Superbo: *de manubiis captarum vrbium templum erexit.* Et Suetonius Tiber. cap. XX *Dedicauit Concordiæ ædem; item Pollucis & Caſtoris, ſuo & fratris nomine de manubiis.*

ſacrilegium eſt conſecr.) quartus caſus *ſacrilegium.*

6. *impiatum eſt*) Imperſonale. *Impiare*, polluere. Apuleius lib. I Metamorph. *cruore humano adſperſus atque impiatus.* Prudentius Cathemer. VI hymno ante ſomnum verſ. 53

At qui coinquinatum
Vitiis cor impiauit.

bellis deos adiutores habere, aduersus quos arma rapuerunt, & quos post cladem triumphatos colere cœperunt. Quid autem isti dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis aduersus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos nouimus: Romulus, Picus, Tiberinus, & Consus, & Pilumnus,

8. *Picus*) Fauni filius, Saturni nepos. Virgilius Aeneid. VII vers. 48

Fauno Picus pater, ipse parentem
Te, Saturne, refert.

Tiberinus) Aeneidos VIII vers. 31

Huic deus ipse loci, fluuio Tiberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus.

Consus) Tertullianus de Spectaculis cap. V *Ludi, Consualia dicti, initio Neptunum honorabant. eumdem enim & Consum vocant. - - Consualia Romulo defendunt. quod ea Conso dicauerint* DEO, *vt volunt*, CONSILII. Adde Liuium I cap. IX.

Pilumnus ac Picumnus) Nonius Marcellus ex Varronis II de Vita pop. Rom. *Diis coniugalibus Pilumno & Picumno in aedibus lectus sternebatur.* Aliter Seruius in Aeneid. IX vers. 4, qui alterum nomen *Pitumnus* scripsit. *Pilumnus*, inquit, *& Pitumnus fratres fuerunt, & dii. Horum Pitumnus vsum stercorandorum inuenit agrorum: Pilumnus, pinsendi frumenti.* Pilumnus auus Turni. Aeneid. X vers. 76

Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.

nus, ac Picumnus. Cloacinam Tatius & inuenit & coluit: Pauorem Hostilius atque Pallorem: mox a nescio quo
9 Febris dedicata. Hæc alumna vrbis istius superstitio, morbi & malæ valetudines. sane & Acca Larentia, & Flora, meretrices propudiosæ, inter morbos Ro-
10 manorum & deos computandæ. Isti scilicet aduersus ceteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt. neque enim eos aduersum suos homines vel Mars Thracius, vel

Cloacinam Tatius) Tatius rex Sabinorum, mox collega Romuli, (*Liv.* I. *cap.* X. *seqq.*) repertum simulacrum in cloaca, dedicauit. *Lactant.* I. *cap.* XX. *sect.* I.

Pauorem Hostilius atque Pallorem) Liuius lib. I. cap. XX *Tullus in re trepida vouit fana Pallori ac Pauori.*

9. *Febris dedicata*) ad minus nocendum, vt Val. Maximus dicit lib. II cap. V. Fanum eius fuit in Palatio, Cicer. III N. D. cap. XXV.

Acca Larentia) Acca Larentia, siue Laurentia, Faustuli pastoris vxor, a vulgato corpore Lupa dicta, nutrix Romuli. *Liuius* I *cap.* IV. *Gellius* VI *cap.* VII.

& Flora) Vide Lactant. lib. I cap. XX sect. 6.

10. *Mars Thracius*) quia Thracia Marti sacra putabatur. Inde *Odrysius* cognominatus. Statius Thebaid. lib. V vers. 173 *Marte sub Odrysio,*

vel Iuppiter Creticus, vel Iuno nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna: vel Diana Taurica, vel mater Idæa, vel Ægyptia illa non numina, sed portenta iuuerunt.
11 Nisi forte apud istos maior castitas virginum, aut religio sanctior sacerdotum: quum pæne in pluribus virginibus, vt quæ inconsultius se viris miscuissent, Vesta sane nesciente, sit incestum vindicatum: in residuis impunitatem fecerit non castitas tutior, sed impudicitia felicior.
12 Vbi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras & delubra, conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in æditiuorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus, flagrans libido defungitur.
13 Et tamen ante eos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persæ, Græci etiam, & Aegyptii, quum Pontifices, & Aruales, & Sa-

id est Threicio. Thracia enim *Odrysia tellus* apud Silium lib. IV vers. 433.

13. *Aruales*) Aruales fratres XII numero, a Romulo instituti, vt pro aruorum fertilitate Cereri & Baccho sacra facerent. *Gellius* VI *cap.* VII.

& Salios, & Veſtales, & Augures non haberent, nec pullos cauea recluſos, quorum cibo vel faſtidio res ſumma
XXVI regeretur. Iam enim venio ad illa auſpicia & auguria Romana, quæ ſummo labore collecta teſtatus es, & pœnitenter omiſſa, & obſeruata feliciter. Clodius ſcilicet, & Flaminius, & Iunius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum ſoliſtimum tripudium exſpectandum non putauerunt? Quid Regulus? nonne auguria ſeruauit, & captus eſt?
2 Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt, & deditus. Pullos edaces habuit & Paullus, apud Cannas tamen cum maiore Romani populi par-
3 te proſtratus eſt. C. Cæſar, ne ante bru-

Salios) Numa XII Marti legit, qui ſolemni die ancilia ferrent & per vrbem canentes irent cum tripudio & ſaltatu. *Liuius lib.* I cap. XX.

Cap. XXVI. 1. *Clodius & Flaminius & Iunius*) De his ſupra cap. VII ſect. 5. & 6.

ſoliſtimum tripudium) augurii genus ex paſtu auium, quod Cicero expoſuit lib. II de Diuinat. cap. XXXIV. Adde eiusdem lib. VI epiſt. VI ſect. 13, & Liuii lib. X cap. XL.

2. *Mancinus religionem tenuit*) victus Numantino bello & ad infamem pacem adactus. *Flor. lib.* II. *cap.* XVIII *Eutrop. lib.* IV *lib.* VIII.

3. *C. Caſar, ne ante brumam in Africam*) Idem

brumam in Africam nauigia transmitteret, auguriis & auſpiciis renitentibus, ſpreuit: eo facilius & nauigauit, & vicit.
Quæ vero & quanta de oraculis proſe- 4
quar? poſt mortem Amphiaraus ventura reſpondit, qui proditum iri ſe ob monile ab vxore neſciuit. Tireſias cæcus futura videbat, qui præſentia non
videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis 5
Pythii reſponſa confinxit, quum iam Apollo verſus facere deſiſſet: cuius tunc cautum illud & ambiguum defecit ora-

G cu-

narrat Cicero lib. II de Diuinat. cap. XXIV. Suetonius ait cap. LIX, *immolanti hoſtiam aufugiſſe.*

4. *Amphiaraus*) Vide Apollodorum lib. III. cap. VI ſect. 2.

Tireſias cæcus) Tireſias vates Thebanus, luminibus captus, de quo plura Apollodorus dicto cap. VI libri III ſect. 7.

5. *Ennius Apollinis Pythii reſp. confinxit*) Ex Ciceronis lib. II de Diuinat. cap. LVI transſcriptum. *Herodotum*, inquit, (de Crœſi oraculo dicentem) *veraciorem ducam Ennio? num minus ille potuit de Crœſo, quam de Pyrrho fingere Ennius? quis enim eſt qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho eſſe reſponſum,*

Aio te, Aeacida, Romanos vincere poſſe?

Primum Latine Apollo numquam loquutus eſt: deinde iſta ſors inaudita Græcis eſt: præterea Pyrrhi temporibus Apollo verſus facere deſierat.

culum, quam & politiores homines & minus creduli esse cœperunt. & Demosthenes, quod sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam quere-
6 batur. At nonnumquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigere. Quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus; adgrediar tamen fontem ipsum erroris & prauitatis, vnde omnis caligo ista manauit, & altius eruere,
7 & aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus & cupiditatibus degrauati. isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiæ suæ onusti & immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi iam perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere, & alienati a Deo, inductis prauis religionibus a Deo se-
8 gregare. eos spiritus dæmonas esse poëtæ sciunt, philosophi disserunt, Socrates

φιλιππίζειν *Pythiam*) Cicero ibidem cap. LVII *Demosthenes* φιλιππίζειν *Pythiam dicebat, hoc est quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, vt eam a Philippo corruptam diceret.*

8. *Socrates - - adsidentis sibi dæmonis*) Tertullia-

tes nouit, qui ad nutum & arbitrium adſidentis ſibi dæmonis vel declinabat negotia; vel petebat. Magi quoque 9
non tantum ſciunt dæmonas, ſed etiam quidquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt: illis adſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt, vel quæ non ſunt, videri; vel quæ ſunt, non videri:
eorum magorum & eloquio & negotio 10
primus Hoſtanes & verum Deum merita maieſtate proſequitur: & angelos, id eſt, miniſtros & nuntios Dei, ſed ve-

 ri;

anus de Anima cap. I *Socrati aiunt dæmonium a puero adhæſiſſe, peſſimum reuera pædagogum, etſi poſt deos & cum deis dæmonia deputantur penes poëtas & philoſophos.* Et cap. XXVIII eius generis ſpiritus vocat *paredros*, qui etiam Iuſtino Martyri Apolog. II pag. 65 ſunt πάρεδροι, ad quos Minucius iam verbo ADSIDENTIS reſpexiſſe vix dubitari poteſt.

16. *Hoſtanes*) Hic inter artis magicæ principes refertur fuiſſe. Apuleius Apolog. p. 544 (ed. Iul. Floridi) *Si ego ſim ille Damigeron, vel Moſes ſim, vel Iannes, vel Apollonius, vel ipſe Dardanus, vel quicumque alius poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem inter magos celebratus eſt.* Et Tertullianus de Anima cap. LVII *Vt ipſis iam vocabulis vtar, quibus auctrix opinionum iſtarum magia ſonat, Hoſtanes, & Typhon, & Dardanus, & Damigeron, & Nectabis, & Berenice.*

ri; eiusque venerationi nouit adsistere, vt & nutu ipso, & vultu domini, territi contremiscant. idem etiam dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis
11 inimicos. Quid Plato, qui inuenire Deum negotium credidit? nonne & angelos sine negotio narrat & dæmonas? & in Symposio etiam suo naturam dæmonum exprimere connititur? vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus & spiritum, mediam, terreni ponderis & cœlestis leuitatis admixtione concretam, ex qua manet in nos (porro) cupi-

11. *qui inuenire Deum negotium credidit*) Negotium, rem arduam, difficilem. ἔργον, inquit, εὑρεῖν, *labor & negotium est inuenire Deum.* Vide quæ ad cap. XIX pag. 66 notauimus.

sine negotio) facile, prompte, sine difficultate. Ad ἔργον, difficultatem in inueniendo Deo, respicit.

vult enim esse substantiam inter mortalem & immort.) Plato in Symposio pag. 187 πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ.

ex qua manet in nos porro cupido) MANET, fluat, a *manando*. In MSS *monet*, & *procupido*. Insolentiam vocis ita Meursius mitigauit, vt expressimus. *Porro* tamen, quod sustulit Browerus æque ac *pro*; inclusimus tamquam su-

cupido amoris. & dicit informari, & illabi pectoribus humanis, & ſenſum mouere, & adfectus fingere, & ardorem cupiditatis infundere. Iſti igitur XXVII
impuri ſpiritus (vt oſtenſum a magis, a philoſophis, & a Platone) ſub ſtatuis & imaginibus conſecratis deliteſcunt, & adflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur, dum inſpirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt falſis pluribus inuoluta. nam

ſpectum. Lubricus enim locus eſt, vnde ſine offenſa vix nos expediamus.

Cap. XXVII. I. *ſub ſtatuis & imaginibus deliteſcunt*) Chryſoſtomus in Pſalm. CXIII (114) pag. 331 de obſcenis ſtatuis & imaginibus, ὁ δαίμων παρεδρεύει, *dæmon eis adſidet.*

extorum fibras animant) Tibullus lib. II eleg. V ad Phœbum:

Tuque regis ſortes: per te præſentit aruſpex,
Lubrica ſignauit quum deus exta notis.

Et Statius Theb. V verſ. 175, quum litari non poſſet, & aduerſa ſignificarentur,

niger omnibus aris
Ignis, & in nullis ſpirat deus integer extis.

ſortes regunt) Iam ex Statio perſpecta formula. *Sortes* autem oracula.

& falluntur & fallunt, vt & neſcientes ſinceram veritatem, & quam ſciunt, in perditionem ſui non confitentes.
3 Sic a cœlo deorſum grauant, & a Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, vt ſpiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, vt ad cultum ſui cogant: vt nidore altarium, vel hoſtiis pecudum ſaginati, remiſſis, quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur.
4 Hi ſunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere: vates & ipſi absque templo ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur. par & in illis inſtigatio dæmonis, ſed argumentum diſpar furoris.
5 De ipſis etiam illa, quæ paul-

3. *a cœlo deorſum grauant*) indita vitiorum terrena grauitate animum, ne ad Deum eleuetur, detrahunt.

4. *absque templo ſic inſaniunt*). Si dæmones, inquit, qui in templis ſub ſtatuis deliteſcunt, & ſuos agitant, mouent ſacerdotes, aut hi ab illis moueri ſimulant, pro diis habentur: æque omnes furioſos, qui extra templa idem rotando & iactando faciant, pro diis haberi poſſe.

paullo ante tibi dicta sunt, vt Iuppiter ludos repeteret ex somnio, vt cum equis Castores viderentur, vt cingulum matronæ nauicula sequeretur.
Hæc omnia sciunt plerique 6
vestrum, ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis & tormentis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur.
Ipse Saturnus, & Serapis, & Iuppi- 7
ter, & quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur: nec vtique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum adsistentibus, mentiuntur.
Ipsis testi- 8
bus, esse eos dæmonas, de se verum confitentibus credite. adiurati enim per Deum verum & solum, inuiti miseris corporibus inhærescunt: & vel exsiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat; aut gratia curantis adspirat.
Sic Christianos de 9
proximo fugitant, quos longe in cœtibus per vos lacessebant. Ideo inserti mentibus imperitorum, odium

6. *tormentis verborum*) quia dæmones exorcistarum precibus vere torqueantur, & cogantur vt exeant.

noſtri ſerunt occulte per timorem.
naturale eſt enim & odiſſe quem ti-
meas; & quem metueris, infeſtare, ſi
poſſis. Sic occupant animos, & ob-
ſtruunt pectora, vt ante nos incipiant
homines odiſſe, quam noſſe: ne co-
gnitos aut imitari poſſint, aut damna-
XXVIII re non poſſint. Quam autem ini-
quum ſit, de incognitis & inexplora-
tis iudicare, quod facitis; nobis ipſis
pœnitentibus credite: & nos enim
idem fuimus, & eadem vobiſcum
quondam adhuc cæci & hebetes
ſentiebamus, quaſi Chriſtiani mon-
ſtra colerent, infantes vorarent,
2 conuiuia inceſta miſcerent. nec
intelligebamus ab his fabulas iſtas
ſemper ventilari, & numquam vel
inueſtigari, vel probari, nec tanto
tempore aliquem exiſtere, qui pro-
deret, non tantum facti veniam,
verum etiam indicii gratiam conſe-
3 quuturum. Malum autem adeo non
eſſe, vt Chriſtianus reus nec eru-
beſceret, nec timeret, & vnum ſo-
lum-

Cap. XXVIII. 1. *de incognitis*) Abeſt DE a vul-
gatioribus: addidit ex MSS. Carrio Emend. II
cap. XVIII, quem VVovverus ſequutus eſt.
Meurſius *in incognitis*.

ſummodo quod non ante fuerit, pœniteret. Nos tamen quum ſacrilegos 4
aliquos, & inceſtos, parricidas etiam, defendendos & tuendos ſuſcipiebamus; hos nec audiendos in totum putabamus: nonnumquam etiam, miſerantes eorum, crudelius ſæuiebamus, vt torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, exercentes in his

4. *Nos tamen quum ſacrilegos*) Nos cauſſidici, & olim omnes pagani quum nec ſacrilegis & parricidis defendendi ſui poteſtatem negaminus; hos Chriſtianos non audiendos putabamus, ſed indicta cauſſa damnari permiſimus, quod iniuſtiſſimum eſt. Loquitur non ſub perſona Chriſtianorum, ſed quales omnes fuerant antea, paganorum.

tuendos ſuſcipiebamus) Ex foro verbum. SVSCEPTI enim *clientes*. Saluianus de Gubern. Dei lib. V pag. 179 *Ecce quæ ſunt auxilia ac patrocinia maiorum? Nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi.* Et Seruius ad illud Aeneid. VI verſ. 609

& fraus innexa clienti,

id apertius declarat. *Vult*, inquit, *intelligi prauaricatores, qui patroni ſunt clientium, quos nunc* SVSCEPTOS *vocamus*. Inſpice totum locum, & adde Lindebrog. ad Ammiani XVII cap. XX, pag. 70.

vt torqueremus) Sic MSS. vulgo *vrgeremus*. Tormentis autem adhibitis cogebant pagani Chriſtianos ad negandum.

peruerſam quæſtionem, non quæ ve-
rum erueret, ſed quæ mendacium
5 cogeret. Et ſi quis infirmior, malo
preſſus & victus, Chriſtianum ſe
negaſſet, fauebamus ei, quaſi, eie-
rato nomine, iam omnia facta ſua
6 illa negatione purgaret. Adgnoſcitis-
ne eadem nos ſenſiſſe & egiſſe, quæ
ſentitis & geritis? quum, ſi ratio,
non inſtigatio dæmonis iudicaret,
vrgendi magis, non vt diffiterentur
ſe Chriſtianos, ſed vt de inceſtis
ſtupris, de impiatis ſacris, de in-
7 fantibus immolatis faterentur. His
enim & huiusmodi fabulis iidem
dæmones ad exſecrationis horrorem
imperitorum aures aduerſus nos re-
ferſerunt. nec tamen mirum, quum
hominum fama, quæ ſemper inſparſis
men-

6. *quum, ſi ratio, non inſtigatio d. i. vrgendi magis*) MSS. *vrgendi*: male editum erat *arguendi*. Supple *quum vrgendi* Chriſtiani ERANT vel ESSENT.

7. *quum hominum fama - - - ſit & negotium d.*) Io. Fr. Gronouii ſummo iudicio hanc luxati loci emendationem debemus, qui *hominum*, pro *omnium*, quod & Rigaltius ſenſit: non autem Chriſtianorum, vt hic; ſed maligne ſentientium paganorum, ſubſtituit: ac *ſit &* pro *ſic eſt*. ET autem quod redundare videtur,

mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur, sit & negotium dæmonum: ab ipsis enim rumor falsus & seritur & fouetur. Inde est quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse diuinam. Quis tam stultus vt hoc colat? quis stultior, vt hoc coli credat? nisi quod vos & totos asinos in stabulis, cum vestra Epona consecratis: & eosdem 8

interpreteris *etiam*. Vide Observ. Eccles. laudati viri pag. 81.

8. *caput asini rem nobis esse diuinam*) redit confutatio ad id, quod cap. IX obiectum fuerat.

cum vestra Epona consecratis) Epona, dea, stabulis iumentorum præsidens. Apuleius Metamorph. lib. III *Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Eponæ deæ simulacrum, residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis, equidem recentibus, fuerat ornatum.* Et Iuuenalis satyra VIII vers. 157

- - - - iurat
Solam Eponam, & facies olida ad præsepia pictas.

Vbi vetus scholiastes: *Epona dea mulionum est.* Tertullianus Apologetico cap. XVI *Vos non negabitis, & iumenta omnia & totos cantherios cum sua Epona coli a vobis.* Idem ad Nationes lib. I cap. XI *Sane vos totos asinos colitis, & cum sua Epona & omnia iumenta & pecora & bestias, quæ perinde cum suis præsepiis consecratis.* Apud Gruterum vetus inscriptio pag. 87

dem asinos cum Iside religiose deuotatis: item boum capita, & capita veruecum & immolatis & colitis: de capro etiam & homine mixtos, & leonum & canum vultu, deos dedicatis. Non

DEAE EPONAE M. OPILIVS RESTIO.
& alia ibidem num. 5, reperta in Carinthia:

HERCVLI ET EPONAE
AVG.
PRO SALVTE IMP. CAES.
M. AVRELII ANTONINI.

asinos cum Iside religiose deuotatis) asinos gerulos deae & sacrorum. Ritum Apuleius docet lib. VIII sub finem, de se adhuc asino: *deam serico contectam amiculo mihi gerendam imponunt.* & interiectis paucis: *nonnullis hordeum deae gerulo donantibus.* DEVOTARE autem idem est quod *deuouere.* Cicero Paradox. I cap. III *Quae vis patrem Decium, quae filium deuotauit atque immisit in armatas hostium copias?*

capita veruecum colitis) cum alibi forsan, tum maxime in Iouis Ammonis simulacro. Vide supra cap. XXI sect. 15.

de capro etiam & homine mixtos) Pan, pastorale numen notatur, cuius habitum nobis & formam descripsit Silius lib. XIII vers. 327 seqq. Nec alia Satyrorum forma.

leonum & canum vultu) Vnde Cynocephali, Aegyptiorum monstra. De Leonum figura Arnobius lib. VI pag. 196 *Inter deos videmus vestros leonis toruissimam faciem, mero oblitam minio,*

Nonne & Apim bouem cum Aegyptiis 9
adoratis & pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, belluis ceteris, & auibus, & piscibus, quorum aliquem deûm si quis occiderit, etiam capite punitur.
Iidem Aegyptii cum plerisque vobis non 10
magis Isidem, quam ceparum acrimonias

& nomine Frugiferi nuncupari. Adde Tertullian. Apolog. cap. XVI.

9. *Nonne & Apim bouem*) Bos variis locis in Aegypto cultus: Memphitarum *Apis*; Heliopolitarum *Mneuis* dictus; etiam vaccæ in Delta regione consecratæ. Vide Strabonem lib. XVII. pag. 552, & Diodorum Siculum lib. I. cap. XXI.

serpentibus, crocodilis & belluis) Lactantius lib. V cap. XX sect. 12 *Aegyptii turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colunt.* Adde sis, quæ ibi subnotauimus. Ad serpentes etiam Aesculapius pertinet, sub serpentis figura cultus. Prudentius in Romano vers. 257

Placet sacratus aspis Aesculapii?
Crocodilus, ibis, & canis cur displicent?

10. *ceparum acrimonias metuunt*) Hanc Aegyptiorum superstitionem Iuuenalis exagitat satyra XV vers. 9

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

nias metuunt: nec Serapidem magis, quam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos contremiſcunt. Etiam ille, qui de adoratis ſacerdotis virilibus adverſum nos fabulatur, tentat in nos
11 conferre, quæ ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat: apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas: qui ſcortorum licentiæ inuident, qui medios viros lambunt, libidinoſo ore inguinibus inhæreſcunt, homines malæ linguæ, etiamſi tacerent; quos prius tædeſcit impu-
12 dicitiæ ſuæ, quam pudeſcit. Proh nefas! id in ſe peſſimi facinoris admittunt, quod nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſeruitus durior.
XXIX Hæc & huiusmodi propudia nobis non licet nec audire: etiam pluribus turpe defendere eſt. Ea enim de caſtis fingitis

Iterum Prudentius in Romano verſ. 259
Adpone porris religioſas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.

ſtrepitus per pudenda corporis) Hieronymus in Eſaiæ XLVI comm. I *Vt taceam de formidoloſo & horribili cepe, & crepitu ventris inflati, quæ Peluſiaca religio eſt.* Petronius pag. 154 *ſtrepitu obſceno ſimul atque odore viam implebat.*

gitis & pudicis, quæ fieri non crede-
remus, niſi de vobis probaretis. Nam 2
quod religioni noſtræ hominem no-
xium, & crucem eius adſcribitis, lon-
ge de vicinia veritatis erratis, qui
putatis Deum credi, aut meruiſſe
noxium, aut potuiſſe terrenum. Næ 3
ille miſerabilis, cuius in homine
mortali ſpes omnis innititur. totum
enim eius auxilium cum exſtincto
homine finitur. Aegyptii ſane ho- 4
minem ſibi quem colant eligunt, il-
lum vnum propitiant, illum de omni-
bus conſulunt, illi victimas cædunt:
& ille qui ceteris deus, ſibi certe ho-
mo eſt, velit nolit. nec enim con-
ſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alie-
nam. Etiam principibus & regibus, 5
non vt magnis & electis viris (ſicut
fas eſt) ſed vt deis turpiter adulatio
falſa blanditur, quum & præclaro
viro honor verius, & optimo amor
dulcius præbeatur. Sic eorum nu- 6
men

Cap. XXIX. 4. *Aegyptii ſane hominem ſibi*) Theodoretus Orat. III ex Porphyrio, de Aegyptiis, ἄνθρωπον σέβειν ἐν Ἄναβι κώμῃ καὶ τούτῳ θύειν ἐπὶ τὸν βωμόν.

numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est dæmonem eius, implorant: & est eis tutius per Iouis
7 genium peierare, quam regis. Cruces etiam nec colimus, nec horremus. Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas, vt deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. nam & signa

6. *ad imagines supplicant*) ad imagines imperatorum. Plinius lib. X epist. XCVII ad Traianum: *quum, praeunte me, deos adpellarent, & imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, thure ac vino supplicarent.*

tutius per Iouis genium peierare) Apuleius lib. IX sub finem: *Commilitones, ibi, nec vspiam, illum delitescere, adiurantes genium principis, contendebant.* Vlpianus Lege XIII Dig. de Iureiurando sect. 6. *Si quis iurauerit in re pecuniaria per genium principis, dare se non oportere, & peierauerit; imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere.* Sanctissimum ergo iusiurandum, quod *per genium principis* iurabatur.

7. *Cruces etiam nec colimus, nec horremus*) Posterius vulgo legitur, *nec optamus.* Quum vero ed. Rom. *oramus* praeferat, Andr. Riuinus ad Victorinum Pictauiensem pag. 146 doctissima coniectura *horremus* substituit, vt Caecilii verbis cap. XII respondeat, *non adorandae, sed subeundae cruces.*

ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla ca-
ſtrorum, quid aliud quam inauratæ
cruces ſunt, & ornatæ? tropæa veſtra
victricia non tantum ſimplicis crucis
faciem, verum & adfixi hominis imi-
tantur. Signum ſane crucis natura- 8
liter viſimus in naui, quum velis
tumentibus vehitur, quum expanſis
palmulis labitur: & quum erigitur
iugum, crucis ſignum eſt: & quum
homo porrectis manibus Deum pura
mente veneratur. ita ſigno crucis aut
ratio naturalis innititur, aut veſtra
religio formatur. Illum iam velim XXX
conuenire, qui initiari nos dicit
aut credit de cæde infantis & ſan-
guine. Putas poſſe fieri, vt tam
molle, tam paruulum corpus fata
vulnerum capiat: vt quiſquam il-
lum rudem ſanguinem nouelli & vix

& cantabra) Vexillorum genus cantabrum. Tertullianus Apologet. cap. XVI *Sipara illa vexillorum & cantabrorum ſtolæ crucum ſunt.* Et lib. I cap. XII extr. ad Nationes: *in cantabris atque vexillis ſipara illa veſtes crucum ſunt.* Lege II Cod. Theod. de Collegiatis, *ſigniferi & cantabrarii* coniunguntur. Quidam malunt *labara*, ſed codicum conſpiratione reiiciuntur.

dum hominis cædat, fundat, exhau-
riat? nemo hoc poteſt credere, niſi qui
2 poſſit audere. Vos enim video pro-
creatos filios nunc feris & auibus ex-
ponere, nunc adſtrangulatos miſero
mortis genere elidere. Sunt quæ in
ipſis viſceribus, medicaminibus epo-
tis, originem futuri hominis exſtin-
guant, & parricidium faciant antequam
3 pariant. Et hæc vtique de deorum
veſtrorum diſciplina deſcendunt. nam
Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed
vorauit. Merito ei in nonnullis Afri-
cæ

Cap. XXX. 2. *filios nunc feris & auibus exponere*) Proprium huius parricidii verbum EXPONERE. Terentius Heaut. a. IV ſc. I verſ. 37 *quum exponendam do illi*, ſcilicet natam puellam. Liuius lib. I cap. IV *in proxima adluuie pueros exponunt.* Adde Lactantium lib. V cap. IX ſect. 15. & quæ nos ibi.

3. *Saturnus filios ſuos vorauit*) VORAVIT fabulæ verbum. Apollodorus lib. I cap. I. κατέπινε τὰ γεννώμενα. Lactantius lib. I cap. XIII ſect. 2 de Saturno: *natos ſibi filios non vtique deuorabat, vt ferunt fabulæ, ſed necabat.* Adde ſect. 3.

in Africæ partibus infantes immolabantur) Tertullianus Apologetico cap. IX *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam vsque ad proconſulatum Tiberii.* Silius Italicus lib. IV verſ. 767.

cæ partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur. Tauris etiam Ponticis 4
& Ægyptio Busiridi ritus fuit hospites
H 2 im-

Mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido,
Poscere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris
(Infandum dictu) paruos imponere natos.

4. *Tauris Ponticis*) Tauris, Scythiæ populo supra Pontum Euxinum, vbi Diana Taurica hospitum sanguine colebatur. Seneca Octauia extrema:

Et Taurorum barbara tellus:
Hospitis illic cæde litatur
Numen superum.

Adde Ouidii lib. IV Tristium elegiam IV.

Ægyptio Busiridi) Busiris Ægypti rex, creditus Neptuni filius, ab Hercule interfectus. Hyginus fab. XXXI *Busiris in Ægypto hospites immolare solitus est.* Plenius nefandum ritum, Busiridis ab origine ad finem, descripsit Apollodorus lib. II cap. V sect. 11. Hinc est quod Virgilius Georg. III ineunte dixit

illaudati Busiridis aras,

& Statius Thebaidos XII vers. 774

immites Busiridos aras:

& Hercules apud Ouidium Metamorph. lib. IX vers. 182

Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Busirim domui?

immolare: & Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. Romani Græcum & Græcam, Gallum & Gallam, ſacrificiis viuentes obruere: hodieque ab ipſis Latiaris Iuppiter homicidio colitur: & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxii hominis ſangui-

Mercurio Gallos humanas victimas) Cæſar lib. VI B. Gall. cap. XVI *pro victimis homines immolant.* Adde quæ ad Lactantii lib. I cap. XXI ſect. 3 notauimus.

Græcum & Græcam, Gallum & Gallam) Illos vt viliſſimos homines; hos vt odioſiſſimos. *Rigalt.* Exemplum Plutarchus in Marcello ſub initium dat, δύο μὲν Ἕλληνας, ἄνδρα καὶ γυναῖκα, δύο δὲ Γαλάτας ὁμοίως ἐν τῇ καλουμένῃ βοῶν ἀγορᾷ κατορύξαι ζῶντας. Liuius interpres ſit lib. XXII cap. LVII *Ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca, in foro boario ſub terra viui demiſſi ſunt.*

Latiaris Iuppiter) qui & *Latialis* dicitur; de cuius horrendo cultu, dixi ad Lactantii lib. I cap. XXI ſect. 3 vbi cum Lipſio ferme de quodam amphitheatri ritu Tertulliano inuitante, exponebamus. Vel ad *ferias Latinas*, in monte Albano celebratas, pertinuiſſe videtur. Cicero pro Milone cap. XXXI *Tuque ex tuo edito monte, Latiaris ſancte Iuppiter, cuius ille lacus, nemora, fineſque ſæpe omni nefario ſtupro & ſcelere macularat, aliquando ad eum* (Clodium) *puniendum oculos aperuiſti.* De Albano monte & lacu ſermo eſt.

guine saginatur. Ipsum credo docuisse 5
sanguinis fœdere coniurare Catilinam:
& Bellonam sacrum suum haustu humani
cruoris imbuere; & comitialem
morbum hominis sanguine, id est, mor- 6
bo grauiore, sanare. Non dissimiles
& qui de arena feras deuorant illitas &
infectas cruore, vel membris hominis
& viscere saginatas. Nobis homici- 7

5. *sanguinis fœdere coniurare Catilinam*) Sallustius Bell. Catilin. cap. XXII *Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, quum ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem, vino permixtum, in pateris circumtulisse.*

Bellonam sacrum suum haustu h. cr.) SACRVM ex MS. est, vulgo *scruum*. Est autem *sacrum*, sacrificium, & omnis sæuæ deæ cultus, cui operantes, lacertos & brachia cruentabant. Lucanus lib. I vers. 565

tum, quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet, cecinere deos.

& comitialem morbum hominis sanguine) Vetus opinio, quæ nec dum vulgi esse desiit, poto hominis calido sanguine morbum tolli quem comitialem dicunt, id est epilepsiam. Cornelius Celsus lib. III cap. XXIII de comitiali morbo: *Quidam, iugulati gladiatoris calido sanguine poto, tali morbo se liberarunt; apud quos miserum auxilium tolerabile miserius malum fecit.*

dium nec videre fas, nec audire: tantumque ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in ci-
XXXI bis sanguinem nouerimus. Et de incesto conuiuio fabulam grandem aduersum nos dæmonum coitio mentita est, vt gloriam pudicitiæ deformis infamiæ auersione macularet: vt ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandæ opinionis auerteret. sic de isto & tuus Fronto, non vt adfirmator testimonium fecit, sed conuicium vt orator ad-
2 spersit. Hæc enim potius de vestris gentibus nata sunt. Ius est apud Persas misceri cum matribus: Aegyptiis, & Athenis, cum sororibus legitima con-

Cap. XXXI. 1. *de incesto conuiuio*) quod supra cap. IX obiectum fuerat.

tuus fronto) Fronto Cirtensis orator, de quo ibidem prædictum est.

2. *Ius est apud Persas misceri cum matribus*) Libidinosissimam Persarum gentem fuisse non ignotum est. Si non in tota, quod incredibile; tamen in parte barbariore nefanda illa consuetudo inualuisse videtur. Hieronymus lib. II adv. Iouinianum cap. VI *Persæ, Medi, Indi & Aethiopes cum matribus & auiis, cum filiabus & neptibus copulantur.*

Aegyptiis & Athenis) De Aegyptiis Diodorus Siculus lib. I cap. XXVII originem prauæ con-

connubia: memoriæ & tragœdiæ ve-
ſtræ inceſtis gloriantur, quas vos liben-
ter & legitis & auditis: ſic & deos colitis
inceſtos, cum matre, cum filia, cum
ſorore coniunctos. merito igitur ince- 3
ſtum penes vos ſæpe deprehenditur,
ſemper admittitur: etiam neſcientes
miſeri poteſtis in illicita proruere, dum
venerem promiſce ſpargitis, dum paſſim
liberos ſeritis, dum etiam domi natos

 alie-

ſuetudinis ſiue legis oſtendit, quod Oſiridi & Iſidi bene ceſſerit. Inde νομοθετῆσαι, γαμεῖν ἀδελφάς. Iulianus Auguſtus Oratione I pag. 9 νόμος ἐδίδου, γαμεῖν ἀδελφὴν τῷ Πέρσῃ. De Atheníenſibus dixi ad Cimonem Cornelii Nepotis cap. I.

memoriæ & tragœdiæ veſtræ inceſtis) MEMORIÆ ſcripta & libri ſunt, quibus memoriæ proditur; ſiue monimenta litterarum: vt ſupra cap. VII *Specta de libris memorias.* Et Gellius lib. IV cap. VI *In veteribus memoriis ſcriptum legimus.* Idem lib. V cap. V ineunte: *In libris veterum memoriarum ſcriptum eſt.* Tertullianus aduerſus Iudæos cap. I *Secundum ſcripturarum diuinarum memorias populus Iudæorum maior, id eſt antiquior, derelicto Deo, idolis ſeruiuit.* Non eſt ergo cauſſa ſatis, vt cum F. Vrſino & VVovvero *comœdiæ* ſufficiamus.

3. *promiſce ſpargitis*) Sic MSS libri & hoc loco & ſupra cap. IX ſect. 2. nam veteres *promiſcus*

alienæ misericordiæ frequenter exponitis; necesse est in vestros recurrere,
4 in filios inerrare. Sic incesti fabulam nectitis, etiam cum conscientiam
5 non habetis. At nos pudorem non facie, sed mente præstamus. vnius matrimonii vinculo libenter inhæremus. cupiditatem procreandi aut
6 vnam scimus, aut nullam. Conuiuia non tantum pudica colimus, sed & sobria. nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus: sed grauitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore, plerique inuiolati corporis virginita-

& *promiscuus* dicebant. Gellius lib. XI cap. XVI *deterret nos a varia promiscaque cogitatione.* Idem lib. II cap. XXIV *promisce indefiniteque largiri:* Et lib. VI cap. XIV *vt promisce dici solet.*

alienæ misericordiæ) Idem dixit Lactantius lib. VI cap. XX sect. 21. 22, quem vide. Et Paullus lege IV Dig. de agnoscend. & alend. liberis: *Ne are partum videtur & is, qui publicis locis, misericordiæ caussa, exponit, quam ipse non habet.*

5. *vnius matrimonii vinculo*) Vide Tertulliani librum de Monogamia: cuius similem epistolam postea Hieronymus scripsit, num. XI ad Ageruchiam, cui etiam titulus est de Monogamia.

nitate perpetua fruuntur potius, quam
gloriantur: tantum denique abeſt in-
ceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit
etiam pudica coniunctio. Nec de vl- 7
tima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi ho-
nores veſtros & purpuras recuſamus:
nec faſtidioſi ſumus, ſi omnes vnum
(bonum) ſapimus, eadem congregati
quiete qua ſinguli: nec in angulis
garruli, ſi audire nos publice aut
erubeſcitis, aut timetis. Et quod in 8
dies noſtri numerus augetur, non
eſt crimen erroris, ſed teſtimonium
laudis. nam in pulchro genere vi-
vendi & perſtat & perſeuerat ſuus, &
accreſcit alienus. Sic nos denique non 9
notaculo corporis, vt putatis, ſed in-
nocentiæ ac modeſtiæ ſigno facile di-
gnoſcimus: ſic mutuo, quod doletis,
amore diligimus, quoniam odiſſe non

 noui-

7. *nec faſtidioſi ſumus*) Heraldus malebat *fa-ctioſi.*

vnum bonum ſapimus) Fulv. Vrſinus *bonum*, tamquam gloſſam, reſpuit.

9. *non notaculo corporis*) Sic libri, verbo inſolenti. Gloſſæ tamen veteres NOTACVLVM, *nota, ſignum.* Rom. lib. *nota occulta*, vt ſupra Cæcilius cap. IX ſect. 2 dixerat, *occultis ſe notis & inſignibus noſcunt.*

nouimus: ſic nos, quod inuidetis, FRATRES vocamus, vt vnius Dei parentis omnes, vt conſortes fidei, vt ſpei coheredes. Vos enim nec inuicem adgnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis: nec fratres vos, niſi ſane ad

XXXII parricidium recognoſcitis. Putatis autem nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? quod enim ſimulacrum Deo fingam, quum ſi recte exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulacrum? templum quod ei exſtruam, quum totus hic mundus, eius opere fabricatus, eum capere non poſſit? &, quum homo laxius maneam, inter vnam ædiculam vim

2 tantæ maieſtatis includam? nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtro imo conſecrandus eſt pectore? Hoſtias & victimas Domino offeram, quas in vſum mei protulit, vt reiiciam ei ſuum munus? ingratum eſt: quum ſit lita-

Cap. XXXII. 2. *in noſtra dedicandus eſt mente*) Prudentius Romano martyre verſ. 346

Aedem ſibi ipſe mente in hominis condidit
Viuam, ſerenam, ſenſualem, flabilem.

quum ſit litabilis hoſtia) Prudentio quoque *victima litabilis* dicta lib. I inſtit. cap. XXI ſect. 25,

litabilis hoſtia bonus animus, & pura
mens, & ſincera conſcientia. Igitur qui 3
innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui iuſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſubripit, opimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt: ſic apud nos religioſior eſt ille qui iu-
ſtior. At enim, quem colimus Deum, 4
nec oſtendimus, nec videmus. Immo ex hoc Deum credimus, quod eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus motibus virtutem eius ſemper præſentem adſpicimus: quum tonat, fulgurat, fulminat, quum ſere-
nat. Nec mireris, ſi Deum non videas: 5
vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus & flatus. In ſolem adeo, qui videndi omnibus cauſa eſt, in-

id eſt Deo grata & acceptabilis; & Epitome cap. V ſect. 8 *victima litabilior.*

4. *nec oſtendimus, nec videmus*) Obiectum id fuerat cap. X ſect. 5.

5. *ſub oculis tamen non venit ventus*) Idem argumentum tractat Lactantius VII cap. IX ſect. 2. ſeq. quem pretium eſt conſulere.

omnibus: nusquam enim claritudo violatur. Quanto magis Deus au- 9
ctor omnium, ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum; tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? non tantum sub illo agimus, sed & cum illo, prope dixerim, viuimus.
Nec nobis de nostra frequentia blan- XXXIII
diamur: multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus: Deo
vna domus est mundus hic totus. Re- 2
ges tantum regni sui per officia ministrorum vniuersa nouere: Deo indiciis opus non est. non solum in oculis
eius, sed & in sinu viuimus. Sed Iudæis 3
nihil profuit, quod vnum & ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione coluerunt. Ignorantia laberis, si prio-

9. *speculator omnium*) Vt Prudentius hymno matutino sub finem:

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.

Adde Lactantium lib. VI cap. XVIII sect. 12.

Cap. XXXIII. 1. *de nostra frequentia*) Ad obiecta cap. IX sect. 1 respondet.

priorum aut oblitus, aut inscius, posteriorum recordaris.
4 Nam & ipsi Deum nostrum (idem enim omnium Deus est) quamdiu caste, innoxie religioseque coluerunt, quamdiu præceptis salubribus obtemperauerunt, de paucis innumeri facti, de egentibus diuites, de seruientibus reges: modici multos, inermi armatos, dum fugiunt, insequentes, Dei iussu, & elementis adnitentibus obruerunt.
5 Scripta eorum relege, vel si Romanis magis gaudes, vt transeamus veteres, Flauii Iosephi, vel Antonini Iuliani, de Iudæis require. iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam: nec quidquam accidisse, quod non sit his, si in contumacia perseuerarent, ante prædictum.
6 Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos: nec, vt impie loqueris, cum Deo suo esse captos, sed a Deo, vt disciplinæ transfugas, deditos.
XXXIV Cæterum de incendio mundi, aut improuisum ignem cadere, aut

5. *vel Antonini Iuliani*) Præter nostrum, non habet polyhistor Vossius, quem de hoc Iuliano, Iudaicarum rerum scriptore, testem aduocet.

6. *nec, vt impie loqueris*) supra cap. X sect. 4.

aut difficile non credere, vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quæ orta sunt, occidere, quæ facta sunt, interire? cœlum quoque cum omni- 2
bus, quæ cœlo continentur, ita, vt cœpisse, desinere? fontium dulci aqua, marisue nutriri, in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat: & Epicureis de elementorum conflagratione, & mundi ruina eadem ipsa sententia est. Loquitur 3
Plato

Cap. XXXIV. 1. *aut difficile non credere*) Rigaltius ita ex MS. Sensus: tamquam rem naturalem contemnere. Alii *difficilem:* Meursius, *sufficere.*

Stoicis constans opinio) Vide Ciceronem lib. II de Nat. deor. cap. XLVI, Senecæ Quæst. Nat. lib. III cap. XXVIII extr. Planius Athenagoras Apolog. pag. 152. *οἱ ἀπὸ τῆς ϛοᾶς, ἐκπυρωθήσεσθαι τὰ πάντα φασὶν, Stoici omnia conflagratura dicunt.*

Epicureis de elementorum conflagratione) Lactantius lib. VII cap. I sect. 10 *Epicurus, auctore Democrito, veridicus in hac re fuit, qui ait* (mundum) *& ortum aliquando fuisse, & aliquando esse periturum.*

3. *Loquitur Plato, partes orbis inund.*) Ouzelius adfert aliquid ex Timæo de variis φθοραῖς ἀνθρώπων, quæ ἔσονται πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγιςαι, sed clariora verba desidero.

Plato, partes orbis nunc inundare, nunc alternis vicibus ardeſcere, & quum ipſum mundum perpetuum & inſolubilem diceret eſſe fabricatum; addit tamen, ipſi artifici, Deo ſoli, & ſolubilem eſſe & mortalem.
4 Ita nihil mirum eſt, ſi iſta moles ab eo, quo exſtructa eſt, deſtruatur. Animaduertis philoſophos eadem diſputare quæ dicimus, non quod nos ſimus eorum veſtigia ſubſequuti, ſed quod illi de diuinis prædictionibus prophetarum, vmbram interpolatæ
5 veritatis imitati ſint. Sic etiam conditionem renaſcendi, ſapientium clariores, Pythagoras primus, & præcipuus Plato, corrupta & dimidiata fide tradiderunt. nam corporibus diſſolutis ſolas animas volunt & perpetuo manere, & in alia noua corpora ſæpius commeare.
6 Addunt iſtis & illa ad retorquendam veritatem, in pecudes, aues, belluas, hominum animas redire. non philoſophi ſane

alternis vicibus) Seneca Hercule Furente verſ. 377 perinde hac formula vſus eſt,

Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus vnda ſtabit Euboica piger.

3. *& præcipuus Plato*) ſub finem libri X de Republica.

ne ſtudio, ſed mimi conuicio digna iſta
ſententia eſt. Sed ad propoſitum ſatis 8
eſt, etiam in hoc ſapientes veſtros in
aliquem modum nobiſcum conſonare.
Ceterum quis tam ſtultus aut brutus 9
eſt, vt audeat repugnare, hominem
a Deo vt primum potuit fingi, ita poſſe
denuo reformari? nihil eſſe poſt obi-
tum, & ante ortum nihil fuiſſe: ſicut de
nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere
reparari? Porro difficilius eſt id, quod
non ſit, incipere, quam id quod fuerit,
iterare. Tu perire & Deo credis, ſi quid
oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur?
Corpus omne, ſiue areſcit in puluerem, 10
ſiue in humorem ſoluitur, vel in cine-
rem comprimitur, vel in nidorem te-
nuatur, ſubducitur nobis: ſed Deo ele-
mentorum cuſtodi, reſeruatur. Nec, vt 11
I cre-

6. *mimi conuicio*) Prudentius Paſſione S. Laurentii verſ. 318

Impune tantas, furcifer,
Strophas cauillo mimico
Te nexuiſſe exiſtimas?

Ouxel. legit *mimico vitio*: in MS. aiunt eſſe *mimi officio*, vel *mimico officio*. Nos edd. Rom. Elmenh. & VVovv. ſequuti ſumus.

creditis, vllum damnum sepulturæ ti-
memus, sed veterem & meliorem con-
suetudinem humandi frequentamus.
12 Vide adeo quam in solatium nostri re-
surrectionem futuram omnis natura
meditetur. sol demergit & nascitur;
astra labuntur & redeunt: flores occi-
dunt & reuiuiscunt: post senium arbu-
sta frondescunt, semina non nisi corru-
pta reuirescunt: ita corpus in sæculo, vt
arbores in hiberno, occultant virorem
13 ariditate mentita. Quid festinas, vt
cruda adhuc hieme reuiuiscat & redeat?
exspectandum nobis etiam corporis ver
14 est. Nec ignoro, plerosque con-
scientia meritorum nihil se esse post
mortem magis optare, quam credere:
malunt enim exstingui penitus, quam
ad supplicia reparari. quorum error
augetur, & in sæculo libertate remis-
sa, & Dei patientia maxima: cuius
quanto iudicium tardum, tanto magis
iustum est.

XXXV Et tamen admonentur hominum do-
ctissimorum libris, & carminibus poe-
tarum,

11. *Nec vllum damnum sepulturæ timemus*) Pergit criminationibus cap. XI prolatis respondere.

tarum, illius ignei fluminis, & de Stygia palude ſæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & dæmonum indiciis, & de oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo 2
apud eos etiam ipſe rex Iuppiter per torrentes ripas, & atram voraginem iurat religioſe: deſtinatam enim ſibi cum ſuis cultoribus pœnam præſcius perhorreſcit; nec tormentis aut modus vllus, aut terminus. Illic ſapiens ignis 3
membra vrit & reficit; carpit & nutrit, ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut ignes Ætnæ, & Veſuuii, & ardentium vbique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pa-

Cap. XXXV. 1. *ſæpius ambientis ardoris*) Styge nouies circumfuſa, vt fingunt. Virgilius Aen. lib. VI verſ. 439

nouies Styx interfuſa coercet.

3. *Illic ſapiens ignis*) ſapientiſſimi artificis iuſſa exſequens. *Rigalt.* Sic Tertullianus Scorpiace cap. III *ſapiens ignis effigiem vituli defundet.* Et Clemens Alexandrinus Protreptico pag. 35 τὸν ἐν Δελφοῖς τοῦ Απόλλωνος νεὼν ἠφάνισε πῦρ σωφρονοῦν. Non ergo erat, quod Meurſius in *rapiens* mutaret.

ſcitur, ſed inexeſa corporum lacera-
tione nutritur. Eos autem merito tor-
queri, qui Deum neſciunt, vt impios,
vt iniuſtos; niſi profanus, nemo deli-
berat: quum parentem omnium, &
omnium dominum non minoris ſceleris
5 ſit ignorare, quam lædere. Et quam-
quam vt imperitia Dei ſufficiat ad pœ-
nam, notitia proſit ad veniam; tamen
ſi vobiſcum Chriſtiani comparemur,
quamuis in nonnullis diſciplina noſtra
minor eſt, multo tamen vobis meliores
6 deprehendemur. Vos enim adulteria
prohibetis, & facitis; nos vxoribus no-
ſtris ſolummodo viri naſcimur: vos ſce-
lera admiſſa punitis: apud nos & cogi-
tare, peccare eſt: vos conſcios timetis;
nos etiam conſcientiam ſolam, ſine qua
7 eſſe non poſſumus. Denique de ve-
ſtro numero carcer exæſtuat: Chriſtia-
nus

4. *nemo deliberat*) dubitat. Deliberant enim dubitantes quid faciendum ſit. Adde infra cap. XXXVIII ſect. 7.

5. *Vt imperitia Dei ſufficiat*) luxatum locum ſic Meurſius reſtituit. Vulgo *vt* cum *notitia* eſt.

quamuis in nonnullis diſciplina noſtra minor) quamuis noſtrorum nonnulli diſciplinam no-ſtram minus curioſe obſeruant. *Herald.*

nus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus. Nec de fa- XXXVI
to quisquam aut solatium captet, aut excuset euentum. sit sortis fortunæ, mens tamen libera est: & ideo actus hominis, non dignitas iudicatur.
Quid enim aliud est fatum, quam 2
quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est? qui quum possit præscire materiam; pro meritis & qualitatibus singulorum etiam fata determinat.
Ita in nobis non genitura plectitur, 3
sed ingenii natura punitur. ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias & vberius & plenius.
Ceterum quod plerique pauperes di- 4
cimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus enim vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur. & tamen

 qui

Cap. XXXVI. 1. *sit sortis fortunæ*) Sic liber scriptus manu: non, *Fortis fortunæ*, cuius diuæ heic nullus locus. *Sors fortunæ* genethliacorum verbum. Scaliger ad Manilii verba lib. III vers. 75

Horum operum sortes ad singula signa locauit,

ita adnotat: *In genitura primus locus datur horoscopo: in actionibus, sorti fortunæ, qui est veluti actionum quidam horoscopus.*

quî poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues eſt? magis pauper ille eſt, qui, quum
5 multa habeat, plura deſiderat. Dicam tandem quemadmodum ſentio: nemo tam pauper poteſt eſſe, quam natus eſt. Aues ſine patrimonio viuunt, & in diem pecua paſcuntur: & hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia, ſi non concupiſcimus, poſſi-
6 demus. Igitur vt qui viam terit, eo felicior, quo leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate ſe ſubleuat, non ſub diuitia-
7 rum onere ſuſpirat. Et tamen facultates, ſi vtiles putaremus, a Deo poſceremus. vtique indulgere poſſet aliquantum, cuius eſt totum. ſed nos contemnere malumus opes, quam continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos eſſe, quam prodigos:

&

4. *magis pauper ille eſt*) Claudianus lib. I in Rufinum verſ. 200

Semper inops, quicumque cupit.

5. *nemo tam pauper poteſt eſſe quam natus eſt*) Ex Senecæ de Prouidentia cap. VI transſcriptum. *Contemnite*, inquit, *paupertatem. nemo tam pauper viuit, quam natus eſt.*

& quod corporis humana vitia sentimus, & patimur, non est pœna: militia est. Fortitudo enim infirmitatibus 8
roboratur, & calamitas sæpius disciplina virtutis est. vires denique & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt: omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis incluti floruerunt. Itaque & nobis Deus nec 9
non potest subuenire, nec despicit: quum sit & omnium rector & amator suorum: sed in aduersis vnumquemque explorat & examinat: ingenium singulorum periculis pensitat: vsque ad extremam mortem, voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque vt aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.
Quam pulchrum spectaculum Deo, XXXVII
I 4 cum

7. *non est pœna; militia est*) Seneca de Prouidentia cap. IV *Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur. non est sæuitia: certamen est.* Et cap. II *Bonus vir omnia aduersa exercitationes putat.*

8. *calamitas virtutis disciplina est*) Seneca ibidem cap. IV *calamitas virtutis occasio est.* Nam *marcet sine aduersario virtus*, quod eodem libro cap. II dictum est.

Cap. XXXVII. 1. *Quam pulchrum spectaculum*)

quum Chriſtianus cum dolore congreditur, quum aduerſum minas & ſupplicia & tormenta componitur? quum ſtrepitum mortis & horrorem carnificis irridens inſultat? quum libertatem ſuam aduerſus reges & principes eripit? ſoli Deo, cuius eſt, cedit? quum triumphator & victor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit, inſultat? vicit enim, qui quod contendit, obtinuit.
2 Quis non miles ſub oculis imperatoris audacius periculum prouocet? nemo enim præmium percipit ante experimentum: & imperator tamen, quod non habet, non dat: non poteſt propagare vitam; poteſt honeſtare militiam. at enim Dei miles nec in dolore deſeritur, nec morte finitur. Sic Chriſtianus miſer videri poteſt; non poteſt
3 inueniri. Vos ipſi calamitoſos viros fer-

Vt ſuperiora, ita etiam hoc ex Senecæ de Prouidentia cap. II expreſſum. *Ecce*, inquit, *ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compoſitus.*

componitur) gladiatorium verbum. Cicero lib. II epiſt. VIII ſect. 1 *gladiatorum compoſitiones* dixit. Vide quæ nos ibi. Adde ſupra cap. XXII ſect. 3.

fertis ad cœlum, Mucium Scæuolam,
qui quum erraſſet in regem, periiſſet in
hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et
quot ex noſtris non dexteram ſolum,
ſed totum corpus vri, cremari ſine vllis
eiulatibus pertulerunt, quum dimitti
præſertim haberent in ſua poteſtate?
Viros cum Mucio, vel cum Aquilio, 4
aut Regulo comparo? Pueri & mulier-
culæ noſtræ cruces & tormenta, feras,

4. *cum Mucio, vel cum Aquilio aut Regulo*) Mucii Scæuolæ & M. Attilii Reguli hiſtoria abunde nota, etiam ex breuiariis L. Flori & Eutropii: Aquilii, minus clara, ideoque explicanda. Dionyſius Halicarn. lib. IV pag. 260 Ατύλιον videtur nominaſſe. ſcribe Ακύλιον, quod Latinum *Aquilius* eſt. Hunc duumuirum inſpiciendis Sibyllinis libris creatum, ἀδικεῖν τι δόξαντα περὶ τὴν πίςιν, *viſum non cum fide rem gerere*, & a miniſtro parricidii delatum, rex Tarquinius Superbus εἰς ἀσκὸν, *culeo* inſutum proiecit in mare. Arnobius lib. I pag. 23 innocentiæ ei teſtimonium dat. *Innumerabiles alii*, inquit poſt Pythagoræ & Socratis exempla, *gloria & virtute & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas, vt Aquilius, Trebonius, Regulus: num quid idcirco poſt vitam iudicati ſunt turpes, quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati excruciatique perierunt? Nemo vnquam innocens male interemptus infamis eſt*, & reliqua.

& omnes ſuppliciorum terriculas inſpi-
5 rata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miſeri, neminem eſſe qui aut ſine ratione velit pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deo poſſit ſuſtinere, niſi forte vos decipit, quod Deum neſcientes diuitiis adfluant, honoribus flo-
6 reant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victimæ ad ſupplicium ſaginantur: vt hoſtiæ ad pœnam coronantur.

omnes ſuppliciorum terriculas) Terriculæ, imagines terrentes, terriculamenta. Lactantius de Mort. perſec. cap. XVI ſect. 7 *omnes apparatus ac terriculas tyrannicæ poteſtatis fide ſtabili & robore animi profligaſti.*

6. *Vt hoſtiæ ad pœnam coronantur*) Mos fuit victimas ſertis & vittis coronare. Prudentius Romano martyre verſ. 1021

Huc taurus ingens, fronte torua & hiſpida,
Sertis reuinctus aut per armos floreis,
Aut impeditis cornibus, deducitur.

Et Iuuenalis ſatyr. XIII verſ. 63

Quæque coronata luſtrari debeat agna.

Ideo ταῦροι καὶ στέμματα Act. Apoſt. XIV 13 coniunguntur. De *vittis* Seruius ad verba Sinonis, ſe victimam deſtinatam ſimulantis, Aeneid. II verſ. 133

& circum tempora vittæ,

VITTAE, inquit, *quibus victimæ coronabantur.* Scilicet ornatus acceſſit, vt auguſtiores eſſent hoſtiæ, diisque gratiores.

tur. In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, vt ingenium eorum perditæ mentes licentia poteſtatis libere nundinentur. abſque enim notitia Dei, quæ poteſt eſſe ſolida felicitas, quum ſit ſomnio ſimilis? antequam tenetur, elabitur. 7
Rex es? tam times, quam timeris: & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. Diues es? ſed fortunæ male creditur, & magno viatico breue vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur. 8
Faſcibus & purpuris gloriaris? vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere. 9
Nobilitate generoſus es? parentes tuos laudas? omnes tamen pari ſorte naſcimur: ſola virtute diſtinguimur. 10
Nos igitur qui moribus & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus & pompis veſtris & ſpectaculis abſtinemus: quorum & de ſacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. 11
Nam in ludis curulibus quis non 12

7. *perditæ mentes*) delatores, adulatores & id genus peſtes hominum. *Rigalt.*

12. *in ludis curulibus*) Circenſibus, qui curru ſiue

non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? in gladiatoriis, homicidii diſciplinam? in ſcenicis etiam non minor furor; & turpitudo prolixior. nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat. nunc eneruis hiſtrio amo-
13 rem dum fingit, infligit. Idem deos veſtros

quadrigis agebantur. Feſtus: *Curules equi, quadrigales.* Et *curules triumphi*, qui curru agebantur, ab ouatione diſcreti. Suetonius Aug. cap. XXII *Bis ouans ingreſſus eſt vrbem, poſt Philippenſe, & rurſus poſt Siculum bellum: curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum.* De *ſella curuli* alibi dictum.

populi in ſe rixantis inſaniam) propter quatuor factiones panno & coloribus diſtinctas. Vide Plinii lib. IX epiſt. VI cum noſtris adnotamentis. Et iam Tertullianus aduerſus Marcion. lib. II cap. XXVII illud immoderatum ſtudium populi *furorem* vocat. *Quid non frequentas*, inquit, *tam ſolemnes voluptates circi furentis, & caueæ ſæuientis, & ſcenæ laſciuientis?*

hiſtrio amo rem dum fingit, infligit) Cyprianus libro de Gratia pag. 6 (Comelin. epiſt. II cap. III) *Adulterium diſcitur, dum videtur: & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo refertur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari?*

veſtros, induendo ſtupra, ſuſpiria, odia, dedecorat. Idem, ſimulatis doloribus, lacrymas veſtras vanis geſtibus & nutibus prouocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis. Quod vero ſacrificiorum XXXVIII
reliquias, & pocula delibata contemnimus; non confeſſio timoris eſt, ſed veræ libertatis adſertio. Nam etſi 2
omne quod naſcitur, vt inuiolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur: abſtinemus tamen, ne quis exiſtimet aut dæmoniis, quibus libatum eſt, cedere, aut noſtræ religionis pudere. Quis autem ille, qui dubitat 3
vernis indulgere nos floribus, quum capiamus & roſam veris & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris eſt? his enim & ſparſis vtimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sane quod caput non 4
coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capil-

Cap. XXXVIII. 3. *his & ſparſis vtimur & ſertis*) Chriſtiani vtebantur floribus ſparſis, ſertis, ſolutis, in vſum ſimplicem: eo autem vſu & modo, qui in ſacris gentilium erat, diligentiſſime abſtinebant.

capillisue ſolemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis aut ſentienti facem, aut non ſentienti coronam, quum & beatus non egeat, & miſer
6 non gaudeat floribus. At enim nos exſe-

4. *Nec mortuos coronamus*) Leges XII Tabularum prohibent *longas coronas* in funeribus, apud Ciceronem de Legib. lib. II cap. XXIV; ergo videntur alias permiſiſſe. Tertullianus de Corona cap. X. *Quid tam dignum idolo, quam quod & mortuo? nam & mortuorum eſt ita coronari, quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt & habitu & cultu conſecrationis.* Hanc propter cauſſam abſtinebant priſci Chriſtiani coronarum vſu in funeribus: flores poſtea ſepulcris inieciſſe, ſupra ad cap. XII ſect. 6 notauimus.

aut ſentienti facem, aut non ſentienti) Sic reſtituit Salmaſius hunc locum Exerc. Plin. pag. 676. Sane in MSS. etiam *facem* eſt, quam editiones quædam negligunt. Sententia hæc eſt: Si ſentit mortuus, cur illi facem ſubiicitis? ſi non ſentit, cur coronam ei tribuitis, cuius odorem non poteſt percipere?

6. *At enim nos exſequias adornamus*) Ita Heraldus ex regio MS. & Meurſius. Vulgo *adoramus*, quod interpretantur *facimus*, quia Feſtus dixerit: *Adorare apud antiquos ſignificabat Agere.* Sed nec ille exemplis probauit, neque ſi probaſſet, certum inde foret, Minucium ἀρχαϊκῶς, quam cum Latinis ſuæ & ſuperioris ætatis, quanta nota eſt, loqui maluiſſe.

ſequias adornamus eadem tranquillitate qua viuimus. nec adnectimus areſcentem coronam, ſed a Deo æternis floribus viuidam ſuſtinemus: qui & modeſti, Dei noſtri liberalitate; ſecuri, ſpe futuræ felicitatis; fide præſentis eius maieſtatis animamur. Sic & beati reſurgimus, & futuri contemplatione iam viuimus. Proinde Socrates ſcurra At- 7
ticus viderit, nihil ſe ſcire confeſſus, teſtimonio licet fallaciſſimi dæmonis glorioſus: Arceſilas quoque & Carneades, & Pyrrho, & omnis Academicorum mul-

ſuſtinemus) exſpectamus. Sic ſæpe Tertullianus. De Pœnitentia cap. VI *veniam delictorum ſuſtinere.* Et de cultu feminarum lib. II extremo, *Angeli baiuli ſuſtinentur.* Et aduerſus Iudæos cap. VI *Si iam venit* (Meſſias) *ſeruiendum eſt illi: ſi necdum venit, ſuſtinendus eſt, dummodo manifeſtum ſit aduentu eius comprimi legis veteris præcepta, & operari debere nouæ legis exordia.*

7. *Socrates ſcurra Atticus*) Zeno Socratem hoc maledicto fixit apud Ciceronem lib. I Nat. deòr. cap. XXXIV, quod Lactantius Zenoni non Stoico,ſed Epicureo tribuit lib. III cap. XX ſect. 15.

Arceſilas quoque & Carneades) Vide ſupra cap. XIII ſect. 3.

multitudo deliberet: Simonides etiam in perpetuum comperendinet. philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus & tyrannos, & semper aduersus
8 sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus: non eloquimur magna, sed viuimus: gloriamur nos consequutos, quod illi summa intentione quæsiuerunt, nec
9 inuenire potuerunt. Quid ingrati sumus? quid nobis inuidemus, si veritas diuinitatis nostri temporis ætate maturuit? Fruamur bono nostro, & recti sententiam temperemus: cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reseruetur.

XXXIX Quum Octauius perorasset, aliquamdiu nos ad silentium stupefacti, intenti vultus tenebamus: &, quod ad me est, ma-

deliberet) dubitet, vt modo cap. XXXV dictum.

Simonides comperendinet) Simonides Melicus cunctetur in dies, rogatus quid esset Deus. *Supra cap.* XIII *sect.* 4.

aduersus sua vitia facundos) Lege Senecæ verba apud Lactantium lib. III cap. XV sect. II.

Cap. XXXIX. I. *intenti vultus tenebamus*) MS. Meursio teste, *intentos*, non male. Sed vi-

magnitudine admirationis euanuit, quod ea, quæ facilius est sentire, quam dicere, & argumentis, & exemplis, & lectionum auctoritatibus adornasset: & quod maleuolos iisdem illis, quibus armantur, philosophorum telis retudisset: ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem, sed & fauorabilem. Dum isthæc igitur apud me tacitus reuoluo, Cæcilius erupit: Ego Octauio meo plurimum quantum sed & mihi gratulor, nec exspecto sententiam. vicimus & ita, vt improbe vsurpo victoriam. nam vt ille mei victor est, ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat ad summam quæstionis, & de prouidentia fateor, & Deo cedo, & de sectæ iam nostræ sinceritate consentio. Etiam nunc tamen aliqua consubsi- 3

XL

2

K dunt

detur noster poetæ principis vocem expressisse, principio II Aeneid.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Cap. XL. 1. *Cæcilius erupit*) non exspectans arbitri sententiam, inopinato dixit, nec se continere diutius, nouæ mentis adfectu concitatus, potuit. Vide cap. XVI sect. 6.

vt improbe vsurpo victoriam) Locus dubie saluus: sic tamen in MSS. legitur. Vulgo *improbus*, quod minus sanum.

dunt non obstrepentia veritati, sed perfectæ institutioni necessaria: de quibus crastino (quod iam sol occasui decliuis est) vt de toto congruentius, promptius requiremus.

XLI At ego, inquam, prolixius omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam Octavius mihi vicerit, quum maxima iudi-
2 candi mihi inuidia detracta sit. Nec tamen possum meritum eius verborum laudibus repensare. testimonium & hominis & vnius infirmum est. Habet Dei munus eximium, a quo & inspiratus orauit, & obtinuit adiutus.

3 Post hæc læti hilaresque discessimus, Cæcilius quod crediderit: Octauius quod vicerit: ego, & quod hic crediderit, & hic vicerit.

Cap. XLI. 3. *Octauius quod vicerit*) Quibusdam libris insertum est hoc modo: *Octauius gaudere quod vicerit.* Sed si *cœpit* subaudiatur; tamen id redundabit, in *læti hilaresque* antea expressum.

CAE-

147

CAECILII CYPRIANI
DE
IDOLORVM VANITATE
LIBER
RECENSITVS ET ILLVSTRATVS
A
CHRISTOPHORO CELLARIO.

148

HIERONYMVS epiſtola LXXXIV ad Magnum, oratorem Romanum:

Cyprianus, quod idola dii non ſint, qua breuitate, qua hiſtoriarum omnium ſcientia, quorum verborum & ſenſuum ſplendore perſtrinxit?

AVGVSTINVS libro de Vnico Baptiſmo contra Petilianum epiſcopum Conſtantinienſem cap. IV

Epiſcopus Cyprianus, de vno vero Deo aduerſus multorum deorum falſorumque cultores diſputans, multa profert teſtimonia de libris eorum, quos præclaros auctores habent, hoc eſt, ex illa veritate, quam in iniquitate detinent.

CAECILII CYPRIANI
DE
IDOLORVM VANITATE
LIBER.

DEOS non esse, quos colit vulgus, hinc notum est: Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos, postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra: (quibus) & immolabant hostias, & dies festos, dando honores, celebrabant; inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant adsumpta

DE IDOLORVM VANITATE) Varie hic liber præscribitur. Rigaltii editione: *Quod idola dii non sint, & quod deus vnus sit, & quod per Christum salus credentibus data sit; siue, de idolorum vanitate.* Verum hic non titulus est sed argumentum. Satis ergo illustrissimo viro, editori Oxoniensi fuit, *De idolorum vanitate.*

1. *Reges olim fuerunt*) aut regum filii, vel regii generis, & alii bene merentes de republica.

quibus & immolabant) Abest QVIBVS ab antiquissimis MSS. Vide Rigalt.

2 ſolatia. Et videamus an ſtet hæc apud ſingulos veritas. Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt poſtmodum maris numina: Caſtores alternis moriuntur, vt viuant: Aeſculapius, vt in Deum ſurgat, fulminatur: Hercules, vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur: Apollo Admeti pecus pauit; Laomedonti muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accepit: antrum Iouis in Creta viſitur, & ſepulcrum eius oſtenditur, & ab eo Saturnum fugatum eſſe manifeſtum

2. *Melicertes & Leucothea*) Hyginus fab. II *Ino cum Melicerte filio ſuo in mare ſe præcipitauit; quam Liber Leucotheam voluit appellari: nos matrem Matutam dicimus: Melicerten autem deum Palæmonem, quem nos Portumnum dicimus.* Ino autem Liberi ſiue Bacchi nutrix fingitur. Adde Lactantium lib. I cap. XXI ſect. 23.

Caſtores alternis moriuntur) Vide Minucium cap. XXI ſect. 16. Oxon. *Caſtor & Pollux:* at MSS Beneuent. & Veron. *Caſtores*, vt Minucius.

Aeſculapius fulminatur) Minuc. cap. XXI extremo.

Hercules Oetæis ignibus) ibidem expoſitum.

Apollo Admeti pecus pauit) Minucius præiuit cap. XXII ſect. 5.

Laomedonti muros Neptunus) Vide ibidem.

antrum Iouis & ſepulcrum) Minuc. cap. XXII ſect. 12.

ſtum eſt: inde Latium de latebra eius
nomen accepit. Hic litteras inprime- 3
re, hic ſignare nummos in Italia pri-
mus inſtituit, vnde ærarium Saturni
vocatur; & ruſticitatis hic cultor fuit:
inde falcem ferens ſenex pingitur.
Hunc fugatum hoſpitio Ianus exce- 4
pit, de cuius nomine Ianiculum
dictum eſt, & menſis Ianuarius in-
ſtitutus eſt. Ipſe bifrons exprimi-
tur, quod in medio conſtitutus an-
num incipientem pariter & receden-
tem ſpectare videatur. Mauri vero
manifeſte reges colunt, nec vllo ve-
lamento hoc nomen obtexunt. Inde II 1
per gentes & prouincias ſingulas varia
deorum religio mutatur, dum non
vnus ab omnibus Deus colitur, ſed pro-
pria cuique maiorum ſuorum cultura
ſeruatur. Hoc ita eſſe Alexander ma- 2

3. *Hic litteras inprimere, ſignare nummos*) Minuc. cap. XXII ſect. 9. ſeq. Puta vero ſaxis, membranis, corticibus inpreſſiſſe litteras.
ruſticitatis) ruris colendi, vitæ ruſticæ.

4. *Mauri manifeſte reges colunt*) Idem Minucius cap. XXIII ſect. 2. conſulatur.

Cap. II. 1. *maiorum ſuorum cultura*) Cultura heic *cultus* eſt.

2. *Alexander magnus*) Relege quæ ad Minucii cap. XXI ſect. 4. notauimus.

gnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum, quod maiorum & regum memoria seruata sit; inde colendi & sacrificandi ritus inoleuerit.
3 candi ritus inoleuerit. Si autem aliquando dii nati sunt, cur non hodie quoque nascuntur? nisi forte Iuppiter senuit, aut partus in Iunone defecit.
4 Cur vero deos putas pro Romanis posse, quos videas nihil pro suis aduersus eorum arma valuisse? Romanorum
5 enim vernaculos deos nouimus. Est Romulus, peierante Proculo, deus factus; & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus

3. *Nisi forte Iuppiter senuit*) Ex Felicis cap. XXIII sect. 4. depromptum. Addo huic argumento iudicium Plinii lib. II cap. VII de diis paganorum: *Matrimonia inter deos credi, tantoque aeui ex his neminem nasci, & alios esse grandæuos semperque canos, alios iuuenes atque pueros, atri coloris, aligeros, claudos, ouo editos, & alternis diebus viuentes morientesque, puerilium prope deliramentorum est. Sed super omnem impudentiam, adulteria inter ipsos fingi: mox iurgia, & odia: atque etiam furtorum esse & scelerum numina.*

4. *pro Romanis posse, quos videas nihil*) Ex cap. XXV sect. 8 Minucii Felicis.

5. *Picus, Tiberinus, Pilumnus*) Ibidem.

nus, & Confus, quem deum fraudis, velut confiliorum deum, coli Romulus voluit, poftquam in raptum Sabinarum perfidia prouenit. Deam quoque Cloacinam Tatius & inuenit & coluit: Pauorem Hoftilius atque Pallorem. mox a nefcio quo Febris dedicata, & Acca & Flora meretrices. In tantum vero deorum vocabula apud Romanos finguntur, vt fit apud illos & Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui quafi feralis & funebris intra muros non habetur, fed foris collocatur; & nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur. Eft & Scanfus ab adfcenfibus dictus, & Forculus a foribus, & a limini-

6 7 8

perfidia prouenit) proceffit euentu profpero. *Rigalt.*

6. *Cloacinam Tatius*) De his & infequentibus ineptiis ad Felicis cap. XXV fect. 8 diximus.

7. *Viduus deus*) Quis omnia ridicula deorum nomina enarrabit? Talis & *Scanfus* eft qui fubfequitur fect. 8. tales ceteri diui diuæque. Multos & pæne innumeros narrarunt alii, Arnobius lib. IV pag. 131. Lactantius lib. I. cap. XX, Auguftinus Civ. Dei lib. IV cap. VIII, nec vero complecti omnes potuerunt.

8 *& Forculus a foribus, & Limentinus*) Auguftinus de Civ. Dei lib. IV cap. VIII extremo: *Vnum*

bus Limentinus, & Cardea a cardinibus,
& ab orbitatibus Orbana. Hi dii Ro-
9 mani. Ceterum Mars Thracius, &
Iuppiter Creticus, & Iuno vel Argiua,
vel Samia, vel Pœna; & Diana Tauri-
ca, & deûm mater Idæa: & Aegyptia
portenta, non numina: quæ vtique si
quid potestatis habuissent, sua ac suo-
10 rum regna seruassent. Plane sunt apud
Romanos & victi Penates, quos Aeneas
profugus aduexit. Est & Venus multo
heic turpius Calua, quam apud Home-
III rum vulnerata. Regna autem non
meri-

quisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit. Tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non potuit Forculus simul fores & cardinem limenque seruare. Adde Tertullian. de Corona cap. XIII extrem.

ab orbitatibus Orbana) Plinius lib. II cap. VII *Fanum dicatum est Orbonæ ad ædem Larium, & ara Malæ Fortunæ Exquiliis.* Et Arnobius lib. IV pag. 131 clarius: *In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes: in Næniæ, quibus extrema sunt tempora.*

9. *Mars Thracius & Iuppiter Creticus*) De his & insequentibus deorum cognomentis Minucius cap. XXV sect. 10, vnde desumpta sunt.

10. *Est & Venus multo heic turpius Calua*) Vide Lactantium lib. I cap. XX sect. 27, & Vegetium lib. IV cap. IX. Ex Corbeiensi codice MS. emendatio. Adi Rigaltium.

merito accidunt, ſed forte variantur. Ceterum imperium ante tenuerunt & Aſſyrii, & Medi, & Perſæ: & Græcos & Aegyptios regnaſſe cognouimus. Ita vicibus poteſtatum, Romanis quoque, vt & ceteris, imperandi tempus obuenit. Ceterum, ſi ad originem redeas, 2
erubeſcas. Populus de ſceleratis & nocentibus congregatur, &, aſylo conſtituto, facit numerum impunitas criminum. Vt rex ipſe principatum habeat 3
ad crimina, fit Romulus parricida: atque vt matrimonium faciant, rem concordiæ per diſcordias auſpicantur. Rapiunt, ferociunt, fallunt. Ad copiam ciuitatis augendam, nuptiæ ſunt illis rupta hoſpitii fœdera, & cum ſoceris bella crudelia. Eſt & gradus ſummus 4
in Romanis honoribus conſulatus: ſic conſulatum cœpiſſe videmus vt regnum. Filios interficit Brutus, vt creſcat

3. *ſit Romulus parricida*) Minucius conferri poteſt cap. XXV ſect. 2.
vt matrimonium faciant) Pluralis ex Veronenſi MS. conuenitque cum inſequentibus *Rapiunt* & reliquis.

4. *Filios interficit Brutus*) L. Iunius Brutus, primus conſul. Adi Liuium lib. II cap. V. Etiam Virgilius attingit lib. VI verſ. 819.

cat de suffragio sceleris commendatio
5 dignitatis. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis, aut auguriis Romana regna creuerunt, sed acceptum
6 tempus certo fine custodiunt. Ceterum & Regulus auspicia seruauit, & captus est: & Mancinus religionem tenuit, & sub iugum missus est: & pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæsus est. C. Cæsar, ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret, auguriis & auspiciis retinentibus, spreuit,
7 & eo facilius nauigauit & vicit. Horum autem omnium ratio est illa, quæ fallit & decipit, &, præstigiis cæcantibus veritatem, stultum & prodigum vulgus
8 inducit. Spiritus insinceri & vagi, qui, posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, & a-

Consulis imperium hic primus sæuusque secures
Accipiet: natosque pater noua bella, mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix.

6. *& Regulus auspicia seruauit, & captus est*) Ex Minucii cap. XXVI. sect. 2 & hoc & quæ insequuntur seruati vel neglecti auspicii exempla.

nauigia) Corbei. MS. *nauta*. Eleganter.

8. *Spiritus insinceri & vagi*) Eodem cap. XXVI sect. 7 Minucii Felicis.

& a vigore cœlesti, terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & poetæ dæmonas IV
norunt: & Socrates instrui se & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat: & magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus, quorum tamen præcipuus Hostanes & formam veri Dei negat conspici posse, & angelos veros sedi eius dicit adsistere. In quo 2
& Plato pari ratione consentit, & vnum Deum seruans, ceteros angelos vel dæmonas dicit. Hermes quoque Trismegistus vnum Deum loquitur, eumque incomprehensibilem atque inæstimabilem confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis atque 3
imaginibus consecratis delitescunt. hi adflatu suo vatum pectora inspi- 4

Cap. IV. *& Socrates instrui se & regi*) Ibidem sect. 8.

2. *In quo & Plato & vnum Deum, ceteros*) Vide Minucium cap. XIX sect. 17. & cap. XXVI sect. 11.

Hermes Trismegistus) de quo Lactantius lib. I Instit. cap. VI sect. 3. seq. consulatur.

3. *spiritus sub statuis & imaginibus*) Minuc. Fel. cap. XXVII sect. 1. vbi & insequentia inuenies explicata.

ſpirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuol-
4 vunt. nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, ſomnos inquietant, inrepentes etiam in corporibus occulte mentem terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, vt ad cultum ſui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum ſaginati, remiſſis quæ conſtrinxerant, cu-
5 raſſe videantur. Hæc eſt de illis medela, quum illorum ceſſat iniuria: nec aliud illis ſtudium eſt, quam a Deo homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis auertere; quum ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum

4. *occulte mentem terrent*) Ex Veronenſi optimo. Vulgo *mentes.* quamquam & Minucius cap. XXVII ſect. 3 vnde hæc transſcripta videntur, *mentes* habet.

5. *quum ſint ipſi pœnales*) pœna digni. Saluianus de Gubern. Dei lib. VI pag. 220 *ſcelera pœnaliora.* Nec veteri auctoritate verbum caret. Plinius lib. XVIII cap. XI *Tunditur alica pilo, vinctorum pœnali opera*, id eſt opera, quæ pœnæ loco eſt. Sic Prudentius in Laurentio verſ. 193 dixit *pœnalis labor*, de damnatis in metalla.

suum fecerint errore participes. Hi 6
tamen adiurati per Deum verum a
nobis, statim cedunt, & fatentur, &
de obsessis corporibus exire cogun-
tur. Videas illos nostra voce & ope- 7
ratione maiestatis occultæ flagris cæ-
di, igne torreri, incremento pœnæ
propagantis extendi, eiulare, geme-
re, deprecari: vnde veniant, &
quando discedant, ipsis etiam qui se
colunt audientibus, confiteri; & vel
exsiliunt statim, vel euanescunt gra-
datim, prout fides patientis adiuuat,
aut gratia curantis adspirat. Hinc 8
vulgus in odium nostri nominis co-
gunt, vt nos odisse incipiant homi-
nes antequam nosse, ne cognitos aut
imitari possint, aut damnare non
possint. Vnus igitur omnium do- V.
minus est Deus: neque enim illa
sublimitas potest habere consortem,
quum sola omnem teneat potesta-
tem. Ad diuinum imperium etiam
de terris mutuemur exemplum.
Quando vmquam regni societas 2
aut cum fide cœpit, aut sine cruo-
re desiit? Sic Thebanorum ger-
ma-

Cap. V. 2. *Sic Thebanorum germanitas*) Veronensis MS liber *Thebanorum fratrum g.* quod glos-

manitas rupta, & permanens rogis
diffidentibus etiam in morte difcor-
dia: & Romanos geminos vnum non
capit regnum, quos vnum vteri ce-
3 pit hofpitium. Pompeius & Cæfar
adfines fuerunt, nec tamen neceffi-
tudinis fœdus in æmula poteftate te-
4 nuerunt. Nec hoc tantum de ho-
mine mireris, quum in hoc omnis
natura confentiat. Rex vnus eft api-
bus, & dux vnus in gregibus, & in
armentis rector vnus: multo ma-
gis mundi vnus eft rector: qui vni-
verfa, quæcumque funt, verbo iubet,
ratione difpenfat, virtute confummat.
5 Hic nec videri poteft; vifu clarior eft:
nec comprehendi, tactu purior eft:
nec æftimari; fenfu maior eft, & ideo
fic eum digne æftimamus, dum inæfti-
6 mabilem dicimus. Quod vero tem-
plum habere poffit Deus, cuius tem-
plum

fema videtur & interpretamentum. Adde Minucium ad cap. XVIII fect. 6 & quæ nos ibi adnotauimus.

4. *Rex vnus eft apibus*) Minuc. Fel. cap. XVIII fect. 7.

5. *Hic nec videri poteft, vifu clarior eft*) Ex Minucii cap. XVIII fect. 8.

plum totus est mundus? & quum homo latius maneat, intra vnam ædiculam vim tantæ maiestatis includam? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen 7
Deo quæras: Deus nomen est illi. illic vocabulis opus est, vbi propriis adpellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo qui solus est, DEI vocabulum totum est. Ergo vnus est, & vbique totus diffusus est. Nam & 8
vulgus in multis Deum naturaliter confi-

L fi-

6. *& quum homo latius maneat*) Minucius cap. XXXII sect. 1 *quum homo laxius maneam.* Sic ibi cum Fuluio Vrsino expressimus, quia Cicero, quem imitari solet Minucius, *habitare laxe*, pro domo sua cap. XLIV dixit. Codices vero omnes Cypriani, si transcripsit Felicem, præ se *latius* ferunt, vt dubitare incipiam, an nec prior ille *latius*, vt Sabæus & Fr. Balduinus legunt, scripserit.

intra vnam ædiculam? in nostra dedicandus) Felicis verba dicto cap. XXXII sect. 1 & 2.

7. *Nec nomen Deo quæras*) Sic optimus Veronensis: & Minuciani quidam libri cap. XVIII sect. 9, quamquam ibi *Dei* scripsimus, Meursium sequuti, qui vero lectione Cypriani, quæ dubia est vt vidimus, præcipue nitebatur.

DEI *vocabulum totum est*) Tres MSS. Oxoniensi editione nominati, DEI; alii DEVS: sed & meliores libri Minuciani dicto loco DEI.

na vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. dispersi & palabundi vagantur, soli & cœli sui profugi, per hospitia aliena
iactantur. Nec non Deus ante præ- 4
dixerat fore, vt vergente sæculo, & mundi fine iam proximo, ex omni gente, & populo, & loco cultores sibi adlegeret Deus multo fideliores, & melioris obsequii, qui indulgentiam de diuinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudæi contemptis religioni-
bus perdidissent. Huius igitur indul- 5
gentiæ, gratiæ disciplinæque arbiter & magister SERMO & FILIVS Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator & deductor humani gene-
ris prædicabatur. Hic est virtus Dei, 6
hic ratio, hic sapientia eius & gloria:

3. *soli & cœli sui profugi*) Cum patrio casu & Plinius connexuit lib. VII cap. XXVIII de M. Sergio, Catilinæ proauo: *bis ab Hannibale captus: bis vinculorum eius profugus.*

5. *illuminator & deductor*) Sic antiquissimo quoque libro manu exarato legitur: Vulgaribus *doctor.* Sed præstat quod antiquius, quia ex Tertulliani Apologetico hausta verba, quo eadem hoc ordine cap. XXI leguntur: *Huius*

hic in virginem delabitur; carnem
7 ſpiritu ſancto induitur. Deus cum
homine miſcetur; hic Deus noſter,
hic Chriſtus eſt, qui, mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad PATREM. Quod homo eſt,
eſſe Chriſtus voluit, vt & homo poſ-
8 ſit eſſe quod Chriſtus eſt. Sciebant
& Iudæi Chriſtum eſſe venturum: nam hic illis ſemper prophetis admonentibus adnuntiabatur; ſed ſignificato duplici eius aduentu, vno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur; altero, qui Deum fateretur, non intelligendo primum aduentum, qui in paſſione præceſſit
occultus; vnum tantum credunt, qui
9 erit in poteſtate manifeſtus. Quod
autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. ſic erant ſapientiæ & intelligentiæ cæcitate multati, vt qui vita indigni eſſent, haberent vitam ante ocu-

igitur gratiæ diſciplinæque arbiter & magiſter, illuminator atque deductor generis humani filius Dei adnuntiabatur.

6. *delabitur; carnem ſpiritu ſancto*) Sic e Beneuentano codice: ceteri, *carnem ſpiritus ſanctus induitur*, quæ ſi genuina ſcriptura Cypriani eſt,

oculos, nec viderent. Itaque quum
Chriſtus Ieſus, ſecundum a prophetis VII
ante prædicta, verbo & vocis imperio
dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos reſtringeret, leproſos purgaret, illuminaret cæcos, claudis greſſum daret, mortuos rurſus animaret, cogeret ſibi elementa famulari, ſeruire ventos, maria obedire, inferos cedere; Iudæi, qui illum crediderant hominem tantum, de humilitate carnis & corporis; exiſtimabant magum,
de licentia poteſtatis. Hunc magiſtri 2
eorum atque primores, hoc eſt quos & doctrina ille & ſapientia reuincebat, accenſa ira & indignatione prouocata, poſtremo detentum, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem eius

 &

ſpiritus ipſe λόγος intelligatur oportet. Vulgatis inſertum *cooperante*, quod abeſt a ſcriptis. Tres inſignes *delabitur:* alii, *illabitur.*

Cap. VII. 2. *Syriam procurabat*) Bene, *procurabat*, quia Tacitus Pontium Pilatum *procuratorem* dixit lib. XV cap. XLIV: minus autem vere *Syriam*, quæ ſub legato conſulari erat, nominauit; Pilatus enim Palæſtinæ tantum, nec illi omni, ſed Archelai ethnarchiæ in

& mortem ſuffragiis (violentis ac) per-
3 tinacibus flagitantes. Hoc eos factu-
ros & ipſe prædixerat, & prophetarum
omnium teſtimonium ſic ante præceſ-
ſerat, oportere illum pati, non vt ſen-
tiret (tantum) mortem, ſed vt vince-
ret: & quum paſſus eſſet, ad ſuperos
denuo regredi, vt vim diuinæ maie-
4 ſtatis oſtenderet. Fidem itaque rerum
curſus impleuit. nam & crucifixus, præ-
vento carnificis officio, ſpiritum ſpon-
te dimiſit, & die tertio rurſus a mor-
5 tuis ſponte ſurrexit. Adparuit diſci-
pulis talis vt fuerat: agnoſcendum ſe
videntibus præbuit ſimul iunctis, &
ſub-

prouinciam redactæ, ſiue Iudææ & Samariæ, præfectus fuit. Ioſephus lib. II de bello cap. XIV ineunte: Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πιλάτος, *Miſſus autem a Tiberio Pilatus in Iudæam procurator.*

violentis ac pertinacibus) optimis codicibus abſunt incluſa *violentis ac*, retentis ſolum *ſuffragiis pertinacibus.*

3. *non vt ſentiret tantum mortem*) illud *tantum* in plurimis MSS. non exſtat. Sic *ſentire mortem* erit ἰδεῖν διαφθοράν, vt Græci interpretes Pſalm. XVI. 10 & cum iis Lucas Act. II. 31 reddiderunt.

5. *ſimul iunctis*) Regius ita & Veronenſis codi-

ſubſtantiæ corporalis firmitate conſpi-
cuus, ad dies quadraginta remoratus
eſt, vt de eo ad præcepta vitalia inſtrui
poſſent, & diſcerent quæ docerent.
Tunc in cœlum circumfuſa nube ſub- 6
latus eſt, vt hominem, quem dilexit,
quem induit, quem a morte protexit,
ad patrem victor imponeret; iam ven-
turus e cœlo ad pœnam diaboli, & ad
cenſuram generis humani, vltoris vi-
gore, & iudicis poteſtate: per orbem
vero diſcipuli, magiſtro & Deo mo-
nente, diffuſi, præcepta Dei in ſalutem
darent, ab errore tenebrarum ad vi-
am lucis adducerent, cœcos & ignaros
ad agnitionem veritatis ocularent. Ac 7
ne eſſet probatio minus ſolida, & de
Chriſto delicata confeſſio; per tor-
menta, per cruces, per multa pœna-
rum genera tentantur. Dolor, qui
veritatis teſtis eſt, admouetur, vt Chri-

ces: alii *iunctus*. At *iunctis* eſt συνηθροισμένοις τοῖς ἕνδεκα, Luc. XXIV. 33.

6. *magiſtro & Deo*) Vetus codex Veronenſis *non magiſtro*, *ſed Deo*, vt *magiſter* homo ψιλὸς ſit.

ocularent) viſum darent. Tertulliani verbum, quo magiſtro ſæpe Cyprianus vſus eſt. Libro de Pœnitentia cap. XII *Hirundo ſi excacauerit pul-*

ſtus, Dei filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum præconio vocis, ſed & paſſionis teſtimonio prædicaretur.
9 Hunc igitur comitamur, hunc ſequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, ſalutis auctorem, cœlum pariter & patrem quærentibus & credentibus pollicentem.
10 QVOD EST CHRISTVS, ERIMVS CHRISTIANI, SI CHRISTVM FVERIMVS SEQVVTI.

los, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. Et metaphorice libro de Pudicitia cap. VIII *in veſtibus purpura oculandis.*

10. *ſi Chriſtum fuerimus ſequuti*) Vulgati libri, *imitati*, quod elegans videtur, nec mutarem, niſi ſex codices ſcripti manu, editione Oxonienſi nominati, *ſequuti* præferant, a quorum conſenſu nefas ſit recedere. Etiam Pariſienſis Remboltus, & Baſileenſes Frobenius & Heruagius *ſecuti* expreſſerunt.

FRAN-

FRANCISCI BALDVINI IC.
DISSERTATIO
DE
MINVCIO FELICE.

VT hunc siue libellum, siue dialogum, qui multis iam sæculis falso creditus est dictusque esse octauus Arnobii aduersus Gentes, & inscriberem & esse plane liquidoque adfirmarem M. Minucii Felicis OCTAVIVM, facile mihi persuaserunt duo & boni & antiqui & graues testes auctoresque Lactantius atque Hieronymus. Ille enim suarum Institutionum lib. I cap. XI citat Minucium Felicem in eo, vt ait, libro, qui OCTAVIVS inscribitur: & ex eo verba quædam descripta recitat, quæ non patiuntur nos aut alium aliquem, aut alterius cuiusquam Octauium fingere. Idem lib. V cap. I loquens de Christianorum, quos legerit, loquentia, primo loco hunc Minucium laudat. *Minucius*, inquit, *Felix, non ignobilis inter caussidicos loci fuit. Huius liber, cui* OCTAVIVS *titulus est, declarat, quam idoneus veritatis adsertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.* Testis alter est Hieronymus, qui hunc (sicuti ipse fatetur) Lactantium sequutus, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum ait: *Minucius Felix, Romæ insignis caussidicus, scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui* OCTAVIVS *inscribitur.* Idem in epistola ad Magnum, oratorem Romanum, *Minucius*, inquit,

Felix, cauſſidicus Romani fori, in libro, cui titulus OCTAVIVS *eſt, quid gentilium ſcripturarum dimiſit intactum?* Iam autem non eſſe hunc librum Arnobii, ſatis patet, quum Minucii eſſe apparet. Et vero quod Hieronymus in eadem epiſtola ſubiicit, indicare alioqui poterat Arnobii non eſſe, cum quidem non niſi ſeptem, qui etiamnum exſtant, libros aduerſos Gentes Arnobium ſcripſiſſe teſtetur. Quumque alterum quemdam librum Minucio noſtro falſo inſcriptum fuiſſe narret, tanto miror doleoque magis, hunc qui eius erat vnicus ϗ γνήσιος, fuiſſe illi ſubreptum, alterique, non domino, iniuſte adſcriptum: vt & plagio & partu ſuppoſito facta noſtro Minucio duplex iniuria eſſe videatur. Sed hæc frequens eſt querela de librariorum nihil non temere miſcentium facinoribus. Fortaſſe, vt hunc libellum Arnobio quidam adſcriberent, quædam ſtili & argumenti ſimilitudo, quæ imperitos perſæpe fallit, fecit: & quum legerent OCTAVIVM, ſtatim ſomniarunt octauum aliquem eſſe librum. Ridicule profecto & inepte. Saltem Arnobio perpetua oratione vtenti Dialogum temere adſcribendum non eſſe cogitaſſent. Verum inſcitiæ tam cæca quam confidens eſt audacia. Sane Hieronymus ſcribit, Nepotianum ſuum tam in ſcriptoribus eccleſiaſticis diligenter verſatum fuiſſe, vt ſi quid ex iis proferretur, ſtatim agnoſceret atque diſcerneret, quid Tertulliani, quid Cypria-

priani, quid Lactantii, quid Minucii, quid Victorini, quid Arnobii esset. Cæterum tanto magis miror Erasmum eo loco, illum dico Erasmum, hominem acerrimo iudicio præditum, & talium scriptorum minime obtusum censorem, adnotasse, huius Minucii nihil nunc exstare.

Cuius potissimum imperatoris temporibus Romæ vixerit noster Minucius, nondum mihi satis liquet. Hieronymus in suo catalogo, quo scriptores ecclesiasticos, eo quo vixerunt ordine recensere videtur, illum Origeni proximum, Cypriano priorem fuisse, obscure significat. Sed eius alioqui vel sæculum vel ætatem non indicat. Certe in Cypriani *de Idolorum vanitate* libello plurima sunt quæ totidem verbis in Octauio Minucii leguntur: necesse vt sit aut hunc ab illo, aut illum ab hoc ea sumpsisse. Hieronymus vero in epistola ad Magnum, loquens de Latinis scriptoribus ecclesiæ, etsi Minucium ante Cyprianum laudet, tamen illam de Idolis orationem adscribere Cypriano magis videtur. Sed & in apologia pro suis aduersus Iouianum libris, primo loco Tertullianum, secundo Cyprianum, tertio Minucium commemorat. Sabellicus, sed sine teste, adfirmat eum Romæ floruisse, quo tempore Vrbanus ibi erat episcopus, hoc est, temporibus Alexandri Seueri imperatoris. Si ita esset, esset Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, nostrisque adeo Iurisconſ. Vlpiano & Paullo

Paullo. Verum etsi posteriorem fuisse credam, tamen proxime illa tempora sequutum esse existimo: nostra vero non attingere nisi interuallo longissimo, hoc est, annorum prope CIↃ CCC.

Minuciam gentem olim Romæ nobilem fuisse memini, in qua quatuor consules *Minucii Augurini* intra annos quadraginta numerari possunt. Sed & *Minucios Rufos*, & *Minucios Thermos* in Fastis consularibus lego. Denique & *Minucius Fundanus* Asiæ præses fuit illustris, ad quem Hadrianus imperator non iniquam de Christianis legem misit: vt iam nihil dicam de eo, cuius in Epistolis meminit Plinius, vel quem ille noster laudat Iulianus, cuius ad Minucium Natalem libri de Iure ciuili laudantur. His vero omnibus vnum Minucium Felicem, etsi non fuerit eiusdem aut gentis aut familiæ, facile antepono, ætate quidem posteriorem, doctrina tamen, virtute, &, quod primo loco numerandum est, pietate multo superiorem. Fuit enim non modo iurisconsultis magnus, & excellens suo tempore orator: sed &, quod maius est, fuit serio Christianus. Afrum fuisse suspicor, licet id adfirmare non ausim. Certe Frontonius Cirtensis (Cirta autem fuit nobilissima Numidiæ ciuitas, cuius & in Pandectis mentio fit) ita meminit, vt in Africa versatum se esse significet. Estque genus dicendi scribendique sequutus, quale Afri illi, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius: vt iam de posterioribus non lo-

quar,

quar, quos eadem olim aluit Africa, illa, inquam, felix fecundaque Africa, quæ vt semper aliquid noui proferre dicebatur, sic etiam religionis nostræ vindices & patronos doctissimos acerrimosque protulit, & ad ipsius quoque Romanæ ecclesiæ præsidium atque defensionem emisit. nam & ex eadem Africa prodibant hostes minime ignaui, neque improbi minus quam vehementes calumniatores. qualis, ne longius abeam, fuit ille, cuius iam memini, Fronto: quem quidem tam impudentem rhetorem, quam impium Christianorum aduersarium fuisse, ex Minucio intelligemus. Nollem hunc fuisse Papirium Frontonem, iurisconsultum, qui in Pandectis laudatur. Suspicor potius fuisse Cornelium Frontonem rhetorem, quem Capitolinus narrat fuisse præceptorem M. Antonini philosophi, imperatoris, & ex cuius etiam schola oratoria accepimus prodiisse illum nostrum * Melitonem, qui ad Christianorum defensionem, eloquentiam suam conuertit: vt quod illis impius præceptor probrum adsperserat maledicendo, bonus discipulus abstergeret respondendo.

Minucium nostrum Romæ caussas egisse, paullo ante ex Lactantio & Hieronymo dictum est: neque hoc ipse dissimulat, cum vindemiarum feriis curam iudiciariam sibi remissam fuisse narrat.

* Sardensem episcopum, auctorem apologiæ pro Christianis. *Hieronym. Catalog.*

rat. Sic enim & Vlpianus in Pandectis lege I de Feriis scribit, M. Antonini imperatoris oratione ex ressum fuisse, *ne quis messium aut vindemiarum tempore aduersarium cogeret ad iudicium venire.* Sicuti & Suetonius (cap. XXXV) narrat, Augustum statuisse, *ne Septembri Octobrive mense necesse esset* in senatum venire. Immo vero & ipse Cyprianus, tamquam alter Minucius, in sua epistola ad Donatum (edit. Oxon. Tractatu de Gratia pag. I) meminit eius temporis, quo, vt ait, *indulgente vindemia solutus animus in quietem, solemnes & statas anni fatigantis inducias sortitur.* Ac tum quidem secessus amoenos captare se ait, vbi de rebus diuinis cogitet. Non dissimilis est narratio nostri Minucii. Felices vero illæ feriæ, quibus a foro subselliisque abductus nobilissimus caussidicus est ad religiosam siue commentationem siue disputationem. Cicero, quod abs nostro Scæuola accepit, narrat (lib. II de Oratore cap. VI) *Lælium cum Scipione solitum esse rusticari: eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex vrbe, tamquam ex vinculis euolassent: conchas* etiam, *& vmbilicos ad Cajetam, & ad Lucrinum legere consuesse, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere.* Eius vero exempli statim mihi in mentem venit, quum Minucium audirem relicto strepitu forensi, cum suo Octauio rusticari, & in litore Ostiensi suauiter spectare puerilem, quem describit, ludum. Sed quum de

deinde audio, quam in illo ſeceſſu & grauis & ſeria de religione diſputatio fuerit, & quale ſit in deſerto fornice conſilium; ſentio, numquam coactum Romæ fuiſſe ſenatum maiori de re: nullumque forum, vrbem nullam, nullum negotium, illi ſiue otio ſiue ſolitudini prætulero: ſæpiusque vt iurisconſulti eo modo feriari, ſecedere atque ruſticari aliquando velint, optare cogor. An in eorum animos cadere non poteſt ſancta aliqua & religioſa & ſecreto ſuo digna rerum diuinarum cogitatio? Lactantius innuit, Minucium ſeſe totum non contuliſſe ad ſtudium rerum eccleſiaſticarum. Sed tanto nobilior eius iuriſprudentia fuit, quæ qualis eſſe debet, in republica fuit: & rerum diuinarum humanarumque curam & cognitionem coniunxit: tantoque propterea magis eius exemplum noſtri ordinis hominibus commendo, vt ſaltem diebus nefaſtis in otio melioris religionis faſtos excolant, iisqueſe dent atque addicant. Habebant olim feriantes Romani ſuam *decurſionem Tiberinam*, cuius meminit Cicero (lib. V de Fin. cap. XXIV) ſuamque, vt leges * noſtræ vocant, *Maiumam* ad Oſtiam. Sed excurſio noſtri Minucii quam minime aut otioſa aut ludicra fuit? digna profecto, cuius veſtigia libenter conſpiceret Auguſtinus: & illum receſſum, in qua habita eſt diſputatio, ſalutaret, quum in eccle-

ſia

* Titulo vtriusque Codicis de Maiuma. Suidas *Oſtiæ* eos ludos celebratos addit, quorum ſumma fuit ἡδυπαθεῖν ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν, ἀλλήλους ἐμβάλλοντες.

ſia Oſtienſi matrem ſuam Monicam ſepeliret. Equidem religioſi eius colloquii, quod ſancta hæc matrona cum filio ſuo habuit ad oſtia illa Tiberina (ſicuti ipſe recitat lib. IX Confeſſion.) meminiſſe ſoleo, quoties Dialogum hunc Minucianum lego.

Quænam eſſet Romani fori conditio, quum in eo verſaretur Minucius; quæque eccleſiæ in ea vrbe tunc facies eſſet, eius ætatis memoria plane oſtendit: & quæ aliquando ſcripſi ad Edicta veterum Principum Rom. de Chriſtianis, eam rem illuſtrant. neque ignota eſt hiſtoria temporum, quibus Decius aut Valerianus imperauit. Bene vero habet: Iuriſconſultis, quorum de iure ciuili reſponſa legimus, non ſolum ab religione alienis, ſed & eius acerrimis aduerſariis, ſucceſſiſſe chriſtianum cauſſidicum: & illud ſiue forum ſiue collegium Romanæ togæ atque aduocationis, quod tot iam annis conſperſum fuerat ſanguine & cineribus piorum hominum, tandem aliquando voce & veſtigiis chriſtiani iuriſperiti expiatum atque conſecratum fuiſſe. Arnobius libro primo gloriatur, & oratores & iuriſconſultos magnis, vt ait, ingeniis præditos, tranſiiſſe ad eccleſiam. Credo equidem, quum id ſcriberet, de Minucio eum ſuo cogitaſſe. Multos eius ordinis fortaſſe numerare vix potuiſſet. Sed Minucii tamen exemplum quoſdam ſequutos eſſe credo: vt & Minucius habuit quos in eodem ſtadio ſequeretur. Saltem

Hiero-

Hieronymus ad Magnum, vbi Minucium laudat, meminit duorum Romanæ vrbis ſenatorum, Hippolyti & Apollonii, qui vt & inter ſcriptores eccleſiaſticos referrentur, meriti ſint. Quid dicam de illo* Vettio Epagatho Lugdunenſi, qui olim & multis quidem ante Minucium annis & fuit & partim ignominiæ, partim honoris cauſſa (vt varia tunc erant hominum de religione iudicia) publice adpellatus eſt * ADVOCATVS CHRISTIANORVM? An horum cauſſam aliquando in foro Rom. Minucius egerit, neſcio. Certe Tertullianus vix hoc licuiſſe ſignificat. & tam odioſa tunc erat eorum ſiue religio, ſiue eccleſia, cui ſtatus reipublicæ imperiique Rom. aduerſabatur, totque iam erat publicis præiudiciis confoſſa, vt ipſius nominis Chriſtiani confeſſio ad damnationem ſatis eſſet. Tantum abeſt, vt huius religionis eſſet, quæ libertatis erat, adſertio. Sed tanto magis interea miror in tam profano & inimico foro conſiſtere cauſſidicum pium potuiſſe. Mirum vero, quum iam annis prope ducentis orbis Romanus & palam & publice & libere Chriſto nomen dediſſet, auctoribus ipſis imperatoribus, viſam eſſe legem neceſſariam, quæ & tandem lata eſt, vt in nullo foro vel aduocatus vel cauſſidicus eſſet vllus, vel ius poſtulandi quisquam haberet, qui Chriſtianus non eſſet. Lege VIII Cod. *de poſtulando.* Quam fuit itaque nobile

M Minu-

* Martyr Lugdunenſis ſub M. Antonio & L. Vero. Teſtes Euſeb. H. E. lib. V cap. I, & Gregor. Turonenſis lib. I cap. XXIX.

* παράκλητος χριστιανῶν. Euſeb. d. l.

& mortem suffragiis (violentis ac) per-
3 tinacibus flagitantes. Hoc eos factu-
ros & ipse prædixerat, & prophetarum
omnium testimonium sic ante praeces-
serat, oportere illum pati, non vt sen-
tiret (tantum) mortem, sed vt vince-
ret: & quum passus esset, ad superos
denuo regredi, vt vim diuinæ maie-
4 statis ostenderet. Fidem itaque rerum
cursus impleuit. nam & crucifixus, præ-
vento carnificis officio, spiritum spon-
te dimisit, & die tertio rursus a mor-
5 tuis sponte surrexit. Adparuit disci-
pulis talis vt fuerat: agnoscendum se
videntibus præbuit simul iunctis, &
sub-

prouinciam redactæ, siue Iudææ & Samariæ, præfectus fuit. Iosephus lib. II de bello cap. XIV ineunte: Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πιλᾶτος, *Missus autem a Tiberio Pilatus in Iudæam procurator.*

violentis ac pertinacibus) optimis codicibus absunt inclusa *violentis ac*, retentis solum *suffragiis pertinacibus.*

3. *non vt sentiret tantum mortem*) illud *tantum* in plurimis MSS. non exstat. Sic *sentire mortem* erit ἰδεῖν διαφθοράν, vt Græci interpretes Psalm. XVI. 10 & cum iis Lucas Act. II. 31 reddiderunt.

5. *simul iunctis*) Regius ita & Veronensis codi-

ſubſtantiæ corporalis firmitate conſpicuus, ad dies quadraginta remoratus eſt, vt de eo ad præcepta vitalia inſtrui poſſent, & diſcerent quæ docerent.
Tunc in cœlum circumfuſa nube ſublatus eſt, vt hominem, quem dilexit, 6
quem induit, quem a morte protexit, ad patrem victor imponeret; iam venturus e cœlo ad pœnam diaboli, & ad cenſuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis poteſtate: per orbem vero diſcipuli, magiſtro & Deo monente, diffuſi, præcepta Dei in ſalutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos & ignaros ad agnitionem veritatis ocularent. Ac 7
ne eſſet probatio minus ſolida, & de Chriſto delicata confeſſio; per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor, qui veritatis teſtis eſt, admouetur, vt Chri-

ces: alii *iunctus*. At *iunctis* eſt συνηθροισμένοις τοῖς ἕνδεκα, Luc. XXIV. 33.

6. *magiſtro & Deo*) Vetus codex Veronenſis *non magiſtro*, *ſed Deo*, vt *magiſter* homo ψιλὸς ſit.

ocularent) viſum darent. Tertulliani verbum, quo magiſtro ſæpe Cyprianus vſus eſt. Libro de Pœnitentia cap. XII *Hirundo ſi excæcauerit pul-*

ſtus, Dei filius, qui hominibus ad vi-
tam datus creditur, non tantum præ-
conio vocis, ſed & paſſionis teſtimo-
9 nio prædicaretur. Hunc igitur comi-
tamur, hunc ſequimur, hunc habemus
itineris ducem, lucis principem, ſalu-
tis auctorem, cœlum pariter & patrem
quærentibus & credentibus pollicen-
10 tem. QVOD EST CHRISTVS,
ERIMVS CHRISTIANI, SI CHRI-
STVM FVERIMVS SEQVVTI.

los, novit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. Et metaphorice libro de Pudicitia cap. VIII *in veſtibus purpura oculandis.*

10. *ſi Chriſtum fuerimus ſequuti*) Vulgati libri, *imitati*, quod elegans videtur, nec mutarem, niſi ſex codices ſcripti manu, editione Oxonienſi nominati, *ſequuti* præferant, a quorum conſenſu nefas ſit recedere. Etiam Pariſienſis Remboltus, & Baſileenſes Frobenius & Heruagius *ſecuti* expreſſerunt.

FRAN-

FRANCISCI BALDVINI IC.
DISSERTATIO
DE
MINVCIO FELICE.

VT hunc ſiue libellum, ſiue dialogum, qui multis iam ſæculis falſo creditus eſt dictusque eſſe octauus Arnobii aduerſus Gentes, & inſcriberem & eſſe plane liquidoque adfirmarem M. Minucii Felicis OCTAVIVM, facile mihi perſuaſerunt duo & boni & antiqui & graues teſtes auctoresque Lactantius atque Hieronymus. Ille enim ſuarum Inſtitutionum lib. I cap. XI citat Minucium Felicem in eo, vt ait, libro, qui OCTAVIVS inſcribitur: & ex eo verba quædam deſcripta recitat, quæ non patiuntur nos aut alium aliquem, aut alterius cuiusquam Octauium fingere. Idem lib. V cap. I loquens de Chriſtianorum, quos legerit, loquentia, primo loco huncMinucium laudat. *Minucius*, inquit, *Felix, non ignobilis inter cauſſidicos loci fuit. Huius liber, cui* OCTAVIVS *titulus eſt, declarat, quam idoneus veritatis adſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet.* Teſtis alter eſt Hieronymus, qui hunc (ſicuti ipſe fatetur) Lactantium ſequutus, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ait: *Minucius Felix, Romæ inſignis cauſſidicus, ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui* OCTAVIVS *inſcribitur.* Idem in epiſtola ad Magnum, oratorem Romanum, *Minucius*, inquit,

 Felix,

priani, quid Lactantii, quid Minucii, quid Victorini, quid Arnobii esset. Cæterum tanto magis miror Erasmum eo loco, illum dico Erasmum, hominem acerrimo iudicio præditum, & talium scriptorum minime obtusum censorem, adnotasse, huius Minucii nihil nunc exstare.

Cuius potissimum imperatoris temporibus Romæ vixerit noster Minucius, nondum mihi satis liquet. Hieronymus in suo catalogo, quo scriptores ecclesiasticos, eo quo vixerunt ordine recensere videtur, illum Origeni proximum, Cypriano priorem fuisse, obscure significat. Sed eius alioqui vel sæculum vel ætatem non indicat. Certe in Cypriani *de Idolorum vanitate* libello plurima sunt quæ totidem verbis in Octauio Minucii leguntur: necesse vt sit aut hunc ab illo, aut illum ab hoc ea sumpsisse. Hieronymus vero in epistola ad Magnum, loquens de Latinis scriptoribus ecclesiæ, etsi Minucium ante Cyprianum laudet, tamen illam de Idolis orationem adscribere Cypriano magis videtur. Sed & in apologia pro suis aduersus Iouianum libris, primo loco Tertullianum, secundo Cyprianum, tertio Minucium commemorat. Sabellicus, sed sine teste, adfirmat eum Romæ floruisse, quo tempore Vrbanus ibi erat episcopus, hoc est, temporibus Alexandri Seueri imperatoris. Si ita esset, esset Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, nostrisque adeo Iurisconsf. Vlpiano & Paullo

Paullo. Verum etſi poſteriorem fuiſſe credam, tamen proxime illa tempora ſequutum eſſe exiſtimo: noſtra vero non attingere niſi interuallo longiſſimo, hoc eſt, annorum prope ciↄ ccc.

Minuciam gentem olim Romæ nobilem fuiſſe memini, in qua quatuor conſules *Minucii Augurini* intra annos quadraginta numerari poſſunt. Sed & *Minucios Rufos*, & *Minucios Thermos* in Faſtis conſularibus lego. Denique & *Minucius Fundanus* Aſiæ præſes fuit illuſtris, ad quem Hadrianus imperator non iniquam de Chriſtianis legem miſit: vt iam nihil dicam de eo, cuius in Epiſtolis meminit Plinius, vel quem ille noſter laudat Iulianus, cuius ad Minucium Natalem libri de Iure ciuili laudantur. His vero omnibus vnum Minucium Felicem, etſi non fuerit eiusdem aut gentis aut familiæ, facile antepono, ætate quidem poſteriorem, doctrina tamen, virtute, &, quod primo loco numerandum eſt, pietate multo ſuperiorem. Fuit enim non modo iuriſconſultis magnus, & excellens ſuo tempore orator: ſed &, quod maius eſt, fuit ſerio Chriſtianus. Afrum fuiſſe ſuſpicor, licet id adfirmare non auſim. Certe Frontonius Cirtenſis (Cirta autem fuit nobiliſſima Numidiæ ciuitas, cuius & in Pandectis mentio fit) ita meminit, vt in Africa verſatum ſe eſſe ſignificet. Eſtque genus dicendi ſcribendique ſequutus, quale Afri illi, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius: vt iam de poſterioribus non lo-

quar,

quar, quos eadem olim aluit Africa, illa, inquam, felix fecundaque Africa, quæ vt semper aliquid noui proferre dicebatur, sic etiam religionis nostræ vindices & patronos doctissimos acerrimosque protulit, & ad ipsius quoque Romanæ ecclesiæ præsidium atque defensionem emisit. nam & ex eadem Africa prodibant hostes minime ignaui, neque improbi minus quam vehementes calumniatores. qualis, ne longius abeam, fuit ille, cuius iam memini, Fronto: quem quidem tam impudentem rhetorem, quam impium Christianorum aduersarium fuisse, ex Minucio intelligemus. Nollem hunc fuisse Papirium Frontonem, iurisconsultum, qui in Pandectis laudatur. Suspicor potius fuisse Cornelium Frontonem rhetorem, quem Capitolinus narrat fuisse præceptorem M. Antonini philosophi, imperatoris, & ex cuius etiam schola oratoria accepimus prodiisse illum nostrum * Melitonem, qui ad Christianorum defensionem, eloquentiam suam conuertit: vt quod illis impius præceptor probrum adspersèrat maledicendo, bonus discipulus abstergeret respondendo.

Minucium nostrum Romæ caussas egisse, paullo ante ex Lactantio & Hieronymo dictum est: neque hoc ipse dissimulat, cum vindemiarum feriis curam iudiciariam sibi remissam fuisse narrat.

* Sardensem episcopum, auctorem apologiæ pro Christianis. *Hieronym. Catalog.*

rat. Sic enim & Vlpianus in Pandectis lege I de Feriis scribit, M. Antonini imperatoris oratione ex ressum fuisse, *ne quis messium aut vindemiarum tempore aduersarium cogeret ad iudicium venire*. Sicuti & Suetonius (cap. XXXV) narrat, Augustum statuisse, *ne Septembri Octobrive mense necesse esset* in senatum venire. Immo vero & ipse Cyprianus, tamquam alter Minucius, in sua epistola ad Donatum (edit. Oxon. Tractatu de Gratia pag. I) meminit eius temporis, quo, vt ait, *indulgente vindemia solutus animus in quietem, solemnes & statas anni fatigantis inducias sortitur*. Ac tum quidem secessus amoenos captare se ait, vbi de rebus diuinis cogitet. Non dissimilis est narratio nostri Minucii. Felices vero illae feriae, quibus a foro subselliisque abductus nobilissimus caussidicus est ad religiosam siue commentationem siue disputationem. Cicero, quod abs nostro Scaeuola accepit, narrat (lib. II de Oratore cap. VI) *Laelium cum Scipione solitum esse rusticari: eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex vrbe, tamquam ex vinculis euolassent: conchas* etiam, *& vmbilicos ad Cajetam, & ad Lucrinum legere consuesse, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere*. Eius vero exempli statim mihi in mentem venit, quum Minucium audirem relicto strepitu forensi, cum suo Octauio rusticari, & in litore Ostiensi suauiter spectare puerilem, quem describit, ludum. Sed quum de

deinde audio, quam in illo ſeceſſu & grauis & ſeria de religione diſputatio fuerit, & quale ſit in deſerto fornice conſilium; ſentio, numquam coactum Romae fuiſſe ſenatum maiori de re: nullumque forum, vrbem nullam, nullum negotium, illi ſiue otio ſiue ſolitudini prætulero: ſæpiusque vt iurisconſulti eo modo feriari, ſecedere atque ruſticari aliquando velint, optare cogor. An in eorum animos cadere non poteſt ſancta aliqua & religioſa & ſecreto ſuo digna rerum diuinarum cogitatio? Lactantius innuit, Minucium ſeſe totum non contuliſſe ad ſtudium rerum eccleſiaſticarum. Sed tanto nobilior eius iurisprudentia fuit, quæ qualis eſſe debet, in republica fuit: & rerum diuinarum humanarumque curam & cognitionem coniunxit: tantoque propterea magis eius exemplum noſtri ordinis hominibus commendo, vt ſaltem diebus nefaſtis in otio melioris religionis faſtos excolant, iisque ſe dent atque addicant. Habebant olim feriantes Romani ſuam *decurſionem Tiberinam*, cuius meminit Cicero (lib. V de Fin. cap. XXIV) ſuamque, vt leges * noſtræ vocant, *Maiumam* ad Oſtiam. Sed excurſio noſtri Minucii quam minime aut otioſa aut ludicra fuit? digna profecto, cuius veſtigia libenter conſpiceret Auguſtinus: & illum receſſum, in qua habita eſt diſputatio, ſalutaret, quum in eccleſia

* Titulo vtriusque Codicis de Maiuma. Suidas *Oſtiæ* eos ludos celebratos addit, quorum ſumma fuit ἡδυπαθεῖν ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν, ἀλλήλους ἐμβάλλοντες.

ſia Oſtienſi matrem ſuam Monicam ſepeliret. Equidem religioſi eius colloquii, quod ſancta hæc matrona cum filio ſuo habuit ad oſtia illa Tiberina (ſicuti ipſe recitat lib. IX Confeſſion.) meminiſſe ſoleo, quoties Dialogum hunc Minucianum lego.

Quænam eſſet Romani fori conditio, quum in eo verſaretur Minucius; quæque eccleſiæ in ea vrbe tunc facies eſſet, eius ætatis memoria plane oſtendit: & quæ aliquando ſcripſi ad Edicta veterum Principum Rom. de Chriſtianis, eam rem illuſtrant. neque ignota eſt hiſtoria temporum, quibus Decius aut Valerianus imperauit. Bene vero habet: Iuriſconſultis, quorum de iure ciuili reſponſa legimus, non ſolum ab religione alienis, ſed & eius acerrimis aduerſariis, ſucceſſiſſe chriſtianum cauſſidicum: & illud ſiue forum ſiue collegium Romanæ togæ atque aduocationis, quod tot iam annis conſperſum fuerat ſanguine & cineribus piorum hominum, tandem aliquando voce & veſtigiis chriſtiani iuriſperiti expiatum atque conſecratum fuiſſe. Arnobius libro primo gloriatur, & oratores & iuriſconſultos magnis, vt ait, ingeniis præditos, tranſiiſſe ad eccleſiam. Credo equidem, quum id ſcriberet, de Minucio eum ſuo cogitaſſe. Multos eius ordinis fortaſſe numerare vix potuiſſet. Sed Minucii tamen exemplum quoſdam ſequutos eſſe credo: vt & Minucius habuit quos in eodem ſtadio ſequeretur. Saltem Hiero-

Hieronymus ad Magnum, vbi Minucium laudat, meminit duorum Romanæ vrbis senatorum, Hippolyti & Apollonii, qui vt & inter scriptores ecclesiasticos referrentur, meriti sint. Quid dicam de illo* Vettio Epagatho Lugdunensi, qui olim & multis quidem ante Minucium annis & fuit & partim ignominiæ, partim honoris caussa (vt varia tunc erant hominum de religione iudicia) publice adpellatus est * ADVOCATVS CHRISTIANORVM? An horum caussam aliquando in foro Rom. Minucius egerit, nescio. Certe Tertullianus vix hoc licuisse significat. & tam odiosa tunc erat eorum siue religio, siue ecclesia, cui status reipublicæ imperiique Rom. aduersabatur, totque iam erat publicis præiudiciis confossa, vt ipsius nominis Christiani confessio ad damnationem satis esset. Tantum abest, vt huius religionis esset, quæ libertatis erat, adsertio. Sed tanto magis interea miror in tam profano & inimico foro consistere caussidicum pium potuisse. Mirum vero, quum iam annis prope ducentis orbis Romanus & palam & publice & libere Christo nomen dedisset, auctoribus ipsis imperatoribus, visam esse legem necessariam, quæ & tandem lata est, vt in nullo foro vel aduocatus vel caussidicus esset vllus, vel ius postulandi quisquam haberet, qui Christianus non esset. Lege VIII Cod. *de postulando*. Quam fuit itaque nobile

M Minu-

* Martyr Lugdunensis sub M. Antonio & L. Vero. Testes Euseb. H. E. lib. V cap. I, & Gregor. Turonensis lib. I cap. XXIX.

* παράκλητος χριστιανῶν. Euseb. d. l.

Minucii nostri exemplum, qui bonarum partium, quantum potuit, patronus Romæ fuit, quo tempore nondum impune hoc licebat? certe Christianis tunc erat interdictum foro, neque iis ius postulandi prætor dabat. verum etsi magis illi palliati quam togati esse solerent: tamen quia iis respublica sæpe carere non poterat, aliquando togatos esse eos, & eorum quosdam aliquod in republ. munus obire passi subinde sunt ethnici principes. Christiani imperatores deinde multo fuere indulgentiores, qui eos & consules & præfectos vrbi atque etiam prætorio interdum creabant, quos alioqui non ignorabant esse acerrimos hostes religionis. quod intelligi potest vel ex vnius Symmachi conditione. Sed facti tandem aliquando sunt severiores, & senatum forumque Rom. perpurgarunt, & Minucios quosdam esse iusserunt, quicumque vel ius dicerent, vel caussas agerent. Aram Victoriæ, quæ in vestibulo curiæ stabat, & ad quam senatus iurare atque sacrificare solebat, iampridem euerterant, ipso etiam & * Symmacho & senatu reclamante. Sed effecerunt postremo, vt non modo a tali superstitione liberi essent omnes togati, sed etiam vt nulla in foro nisi christiana esset illa iurisprudentia, cujus iam olim aliqua in Minucio nostro effigies fuerat.

Minuciani huius libelli inscriptio, & dialogi forma, antiquum eruditumque scribendi morem

* Symmachus *lib.* X *epist.* LIV *ed. Iureti. siue* LXI *ed. Scioppii*, ad Valentinum, Theodosium & Arcadium AAA.

rem refert. Genus dicendi eſt argutum, acre, vehemens: eſt preſſum, denſum, neruoſum, crebris ſententiis compactum, omniumque antiquitatum atque hiſtoriarum memoria refertum, & in quo plures ſententias, quam periodos numerare poſſis. Nam neque verboſi olim fuerunt Chriſtiani, qui verba dare nondum didicerant: & eorum patroni erant homines docti, ac, vt vno verbo dicam, polyhiſtores Quod ad falſa crimina attinet, non tam verbis & libellis, quam vita & re ipſa refellebant aduerſarios.

Quæſtio quæ hic proponitur, & cauſſa, qua de agitur, magna eſt, de religione nempe vera aut falſa. Acerrima vtrimque eſt actio atque contentio. Exitus & victoria eſt, qualis eſſe debet, vbi verum cum falſo confligit. Malarum partium vehemens patronus, & bonarum grauis hoſtis eſt Cæcilius Natalis. Harum contra vindex, & illarum accuſator acerrimus atque iuſtiſſimus eſt Octauius Ianuarius. Medius ſedet bonus iudex atque arbiter Minucius Felix. Contentionis occaſio fuit, quod quum hic cum duobus illis, quos nominaui, in litore Oſtienſi ambularet, ab Octauio chriſtiano reprehenſus ſit Cæcilius ethnicus, qui occurrens idolo Serapidis, illud colere ſe ſignificaſſet. Sane olim Piſone & Gabinio coſſ. Serapidis ſacra Capitolio & vrbe fuerant eiecta: ſed poſtea fuerunt reſtituta, & in ſuburbiis facile hærebant. Reprehenſus Cæcilius fremit, & tamquam irritatus grauiter in Chriſtianorum religio-

nem inuehitur: suamque simul superstitionem defendens, Octauium veluti lacessit. Sed imprudens incurrit in adversarium fortem & acrem: &, vt * ille ait, fragili cupiens illidere dentem, infregit solido.

Caussæ status non vnus est. Cæcilius varie & confuse agit de multis. Octauius pleraque & depellit sola inficiatione, & retorquet iusta recriminatione. Quædam ingenue confitetur: sed iure defendit. Itaque hæc disceptatio partim facti, partim iuris quæstionibus constat. Tertullianus antea, & ante Tertullianum Iustinus & Athenagoras, quorum exstant apologetici libelli, & postea Cyprianus partim contra Demetrianum, partim in libro de vanitate idolorum, & multo deinde magis Arnobius atque Lactantius hanc caussam egerunt: & vsi plerumque sunt non iisdem modo & sententiis & argumentis, sed & verbis & formulis. Sic enim maiores nostri eadem de iisdem, vt ille olim dicebat, dicere solebant. Atque vtinam posteritas tale obseruasset exemplum, ambitiosa nouitas bonam antiquitatem non inquinasset. Velim sane apologias eorum, quos dixi, cum hoc Minuciano libello conferri: ut alium nunc commentarium colligere non sit necesse. Multa ex veterum philosophorum disputationibus, & poetarum fabulis & Romana Græcaque historia subtiliter & docte hic repetuntur. Verum ineptum esset iis de rebus adnotationes multas & otiosas hoc loco inculcare. Mallem quæ ad antiquitatum christianarum memo-

* Horatius lib. II. satyr. I.

moriam pertinent, copiose explicare. Sed & harum commentariis alius dabitur liberior locus. nam iis, quos iam inchoaui, absoluendis aliquando me dedam. Iam vero præter illos, quos dixi, libellos valde velim etiam hic legi & comparari aduersarias orationes Symmachi & Ambrosii: vt quam caussam acriter quidem, sed priuatim tamen, quo tempore Christianis palam esse vix licebat, actam esse ex Minucio audiemus: eamdem multis post annis publice in aulico consistorio iterum iterumque agitatam: in eaque nobilem Romanorum sacrorum patronum, qui & pontifex maior & præfectus vrbi erat, cum maximo & acerrimo antistite christianæ religionis commissum, quo tempore nostri liberi erant, & bona æquaque conditione, audiamus: præsertim cum iudex & arbiter sederet, non modo tam religiosus, quam Minucius, sed multo maioris auctoritatis, & qui rem bene iudicatam exsequi, & aduersarii calumniatoris petulantiam reprimere atque coercere posset. Si quis denique hic adjungat Augustini libros de ciuitate Dei, ad Octauii disputationem multum lucis & splendoris adiunxerit. Ego in talibus commentariis nunc describendis non immorabor. Sed breuiter tantum delibabo quædam capita Minuciani libelli, vt lectorem præmoneam.

Cæcilius principio laudat nescio quam siue Academiam ἀκαταληψίαν, siue Pyrrhonicam ἐποχήν, quasi nulla esset religionis scientia: & Epicurea audacia exagitat Dei prouidentiam, prope

vt ille * Cotta apud Ciceronem in libris de Natura deorum, Octauius prouidentiam defendit: neque iis etiam argumentis vti dedignatur, quibus Velleius apud eumdem Ciceronem refellit Cottæ vanitatem. Cæcilius exprobrabat, Christianos Deo, vt quidam fato, addicere quidquid agitur geriturve. Abs verbo Fati, tametsi odioso propter ineptias Stoicorum, qui ea voce abutebantur, non abhorret Octauius. Sed longiorem ea de re disputationem in aliud tempus reiicit, & eum veluti scopulum caute refugit. Sane Hieronymus in Catalogo, & ad Magnum (epist. LXXXIV) testis est, quemdam de fato librum olim Minucio inscriptum fuisse: sed falsam fuisse inscriptionem monet. Credo illi a quibusdam esse adscriptum, quia hic videbatur tale aliquid esse pollicitus. Arnobius, quem Minucii discipulum & imitatorem appellare soleo, modo aduersarios de fato accusat, modo etiam Christianos eodem nomine accusatos fuisse ostendit: & in vtraque tamen caussa, quum ad rem ventum est, hæret, & nescio quomodo attonitus ἐπέχει. Nam (iuuat enim propter Minucium & quosdam alios obiter hic notare) lib. VII postea quam exagitauit fatum, præsertim quale Stoici fingebant: *has tamen*, inquit, *partes, quia res nimium longi est multique sermonis, inexplicatas*

trans-

* Transposita & confusa vocabula. C. enim Velleius, senator, est ille Epicureus, *lib.* I *de Orat. cap.* VI, qui inde ab VIII capite ad XXI prouidentiam impugnat: cui C. Cotta, Academicus, respondet a cap. illo XXI ad finem libri. Adde initium libri II.

transcurrimus atque intactas. Idem libr. II quum scriberet Christianos vrgeri rogatos, an sine voluntate Dei quidquam fieret; tam se vtrinque premi sentit, vt, ad elabendum, deprecatione cuiusdam ignorantiæ vtatur. *Si*, inquit, *cuncta eius voluntate conficiuntur, nec citra eius nutum quidquam potest in rebus vel prouenire vel cadere; necessario sequitur, vt mala etiam cuncta voluntate eius intelligantur enasci; sin autem dicere voluerimus, pessimorum ab eo reiicientes caussas, mali esse conscium, generatoremque nullius: incipient videri aut eo inuito res pessima fieri, aut, quod sit immane dixisse, nesciente, ignaro, ac nescio.*

Quid igitur tandem inter has veluti symplegadas constrictus, quæstioni respondet? *Respondeamus*, inquit, *necesse est, nescire nos ista*, &c. Iustinus antea in sua apologia non dubitauerat τὴν τῆς εἱμαρμένης ἀνάγκην, vt appellat, aperte inficiari, planeque reiicere, dum scopulum vnum, quem imminere alioqui putat, vult effugere. Atqui tunc iu alterum incurrit, quem non minus aut Minucius aut Arnobius reformidasse videtur. Tandem vero Augustinus in eadem Africa volens veluti persoluere, quod Minucius pollicitus esse dicebatur: & quod hic præstare fortasse vix potuisset, cumulate dependere: subtiliter exposuit in hac quæstione medium quidpiam, quo satisfieri posse indicauit vtrique difficultati. Sciebant & Minucius & Arnobius, quænam olim fuisset dissensio disputatioque inter Chrysippum & Diodorum

περὶ

περὶ δυνατῶν καὶ εἱμαρμένης, siue de FATO. Nam & nos ex Cicerone atque Plutarcho illam vtcumque cognoſcimus. Sed ne in huius quidem iudicibus & arbitris noſtri quidquam deprehendebant, quod omnino ſequerentur. Itaque quamdiu non liquebat, AMPLIVS pronuntiare, quam temere aliud ſtatimque definire, maluerunt.

Redeo ad Cæcilium. Is ſuorum numinum antiquitatem, paſſimque receptam auctoritatem, quantum poteſt, tuetur: Chriſtianorum Deum verum & vnicum exagitat, & eos interea tamquam ἀθέους proſcindit. Octauius idolorum fabulam & vanitatem falſe traducit, iisdem etiam verbis vſus, quibus Cyprianus in eodem argumento vtitur. Neque vero difficilis fuit reprehenſio, quum quidem & ipſius Ciceronis libri de Natura deorum veluti ſuffragarentur. Nam & Arnobius (lib. III poſt principium) teſtis eſt, propterea quoſdam Chriſtianorum hoſtes aliquando *muſſitaſſe, libros illos iuſſu ſenatus abolendos* atque concremandos eſſe. Quid? res ipſa, quæ abs ſuis quoque cultoribus eſt irriſa (nulla enim vnquam ſtultior atque ineptior fabula vllius ſuperſtitionis fuit) vltro ſeſe refellebat. Sed & quod huc pertinebat, facile deſcribere potuit Minucius ex Tertulliano, Iuſtino, Athenagora, Theophilo: vt & poſtea ex Minucio, Arnobius, Lactantius, Ambroſius, Auguſtinus, quum eamdem cauſſam agerent. Certe quod Octauius de Saturno narrat, Lactantius ipſum Minucium auctorem laudans repetit, latiusque exponit lib. I

cap.

cap. XI. Vt autem Octauius totam fabulam Romanæ superstitionis false subsannat: sic & ipsorum oraculorum, quibus tantopere gloriabantur ethnici, vanitatem eleganter ostendit: ac ante suam quidem ætatem oraculum Apollinis Pythii desiisse significat: sicuti & Plutarchus fatetur temporibus Adriani imperatoris plane defecisse: Sic enim cum christianæ religionis veritas inualesceret, necesse fuit euanescere imposturam illorum τῶν χρηστηρίων. Porro Octauius de dæmonibus & eorum, quum abs Christianis adiurantur, trepidatione narrat, quod antea Iustinus & Tertullianus in Apolog. & Cyprianus contra Demetrianum & postea Lactantius lib. quarto, cap. vigesimo septimo. Itaque facile refellit ipsum quoque Vlpianum, Christianos, vt impostores, huius, vt vocant, exorcisationis caussa, irridentem Lege I *de extraord. cognit.* Inanes non fuisse exorcismos posterioribus quoque temporibus, & fuisse frequentes in ecclesia, intelligi quoque potest ex Optato Afro & Augustino, scriptoribus a Minucio minime alienis.

Sed & de Deo vnico multa Octauius inculcat, non dissimilia iis, quæ Iustinus περὶ μοναρχ. & Clemens Alexandrinus collegerant. Nam & vtrumque legisse noster potuit. Neque vero præterit, quod Cyprianus vrget, ipsum quoque vulgus naturaliter appellare Deum vnum & singularem, quum Numen inuocat: sicuti & Lactantius lib. secundo, cap. primo ait, Ethnicos, quum iurarent, *Deum* potius, quam *Iouem* nominasse. In antiqua

formula iurisiurandi Rom. nominatur Dieſpiter. Sed Cicero lib. ſeptimo epiſt. ad Trebat. dixit, *iurare Iouem lapidem*. Sæpe etiam Iouis meminiſſe olim iurantes conſtat, & apud Græcos Ζεὺς ὅρκιος eſt appellatus. Mirum vero, quod Cæcilius gloriatur, ignotis etiam numinibus Romanos aras exſtruxiſſe. Nam quid hoc aliud eſt, quam errorem confiteri? Talem aram Paulus Athenis vidiſſe ſe ait, & ex ea ſumit argumentum conuincendæ huius ignorantiæ, docendorumq; Athenienſium. Neque in Attica modo, ſed & in Elide fuiſſe aras ita inſcriptas, teſtis eſt * Pauſanias. Et fortaſſe poſtea Octauius, quum docere Cæcilium inſtituit, Pauli exemplo inde repetiit ſuæ catecheſeos de veri Dei cognitione principium.

Illud quoque mirum videri poſſet, Cæcilium gloriari, *quæ apud alios populos ſingula numina coluntur, vniuerſa Romæ coli:* nihil vt ſuperſit, quam vt ſuum Pantheon glorioſe oſtentet. Atqui obſtabat lex Romuli, quæ peregrinos deos coli vetabat. Obſtabat Ciceronis ſententia, qui confuſionem religionum alioqui fore pronuntiat. Sed peregrinos fortaſſe non iudicabant, quia iam erant publice acciti, & veluti ciuitate donati. Sic vrbs illa, quæ ab Athenæo (lib. I cap. XVII) ſcite dicta erat ἐπιτομὴ τῆς οἰκυμένης, falſe abs Theophilo noſtro ante Minucii ætatem, appellata eſt ἐπιτομὴ τῆς δεισιδαιμονίας. Nam & Tertullianus (de Spectaculis cap. VII) dixerat, *in ea conſediſſe conuentum dæmoniorum*, curiamque deorum. Interea non temere adiecit, illic quiduis colere, ius

* Pauſanias Eliac. I cap. XIV ἀγνώστων θεῶν βωμός.

ius fuisse, præter Deum verum. Estque profecto memorabile quod Augustinus lib. primò de Consensu Euangelistarum cap. XVIII scribit, cur illum vnum non coluerint Romani, qui colebant omnes alios. *Quia*, inquit, *solum se coli voluerit, illos autem deos gentium, quos isti iam colebant, coli prohibuerit*. Quum autem de ipso Christo quæreretur, alia etiam caussa fuit, cur senatus reclamaret. Porro, vt Augustinus in eo libro multa inculcat, quæ ex nostro Octauio repetita videri possent; sic &, quod eleganter respondet de excidio Hierosolymitano, Octauii de eadem re responsionem confirmat. Sed singula nunc describere nihil attinet. Redeo ad Minucianum auditorium.

Cæcilius Christianos accusat, quod *templa tamquam busta despiciant*. Fatetur Octauius. Nam & Clemens Alexandrinus in προτρεπτικῷ antea probauerat, illa esse * sepulcra. Sed & Arnobius lib. sexto *templa bustis superlata* fuisse ait. Ceterum Christiani alia postea ratione ex suorum martyrum sepulcris, non modo templa, sed & altaria effecerunt. Neque non potuit Minucius ea vidisse. Sed ita est profecto. Etsi maiores nostri religionis nomine multa facerent in speciem similia iis, quæ ab ethnicis fiebant: tamen quia alius erat finis, aliusque vsus, sua sacra defendi posse sciebant, etsi aliorum κακοζηλίαν damnarent. Sacrificiorum Romanorum ritus quam valde irrident? Atqui non dis-

* Clemens Protreptico ad Gentes pag. 58 δεικνύντες, τῶν εἰδώλων τὰ τεμένη, τάφους τινὰς ἢ δεσμωτήρια.

dissimilis olim eorum, quæ lege diuina Iudæis mandata erant, forma fuit.

Etsi autem Christiani ætate nostri Minucii sua templa superbe attollere ad exemplum ethnicorum non possent: tamen suas saltem habebant cryptas, & quasdam etiam ædes & domus sacras in *apertis & editis locis*, vt Tertullianus ait, & lubenter conveniebant ad illa suorum martyrum sepulcra: quæ *κοιμητήρια* vocabant. Nam & hæc illis permisisse Gallienum imperatorem (qui Minucii ætatem non longo intervallo attigit) Eusebius scribit. Ridet autem Cæcilius, quod Christiani suos iam vita functos, non tam mortuos esse, quam dormire dicerent, & crederent, corporumque resurrectionem iactarent. Atqui & apud suum Homerum (Iliad. Ω v. 344) legerat, *ὑπνώοντας ἐγείρειν*, & apud Virgilium (Aeneid. IV vers. 244) *somnos adimere*, quum de mortuis in vitam reuocandis agitur. Quid præterea hic responderit Octauius, conferri potest cum iis, quæ antea Theophilus, Athenagoras, Iustinus, Tertullianus eadem de re scripsere. Nam hos sequutus Minucius est. Ridet Cæcilius (cap. XII) Christianos, quod cadauera *vngant*, non *coronent*. Atqui & Romani, etsi quid agerent, ignorarent, vnguenta funebria habebant. Notus est ille Ennii versiculus,

Tarquinii corpus bona femina lauit & vnxit.

Et licet Leges XII Tabb. seruilem vncturam cadauerum, vt ait Cicero, (de Legib. lib. II cap. XXIV) tollerent, aliam tamen relinquebant: & ipsi iuri

iuriſconſulti inter iuſtos funeris ſumptus vnguenta referunt L. trigeſima ſeptima *de relig. & ſumpt. fun.* Quod ad *coronas cadaverum* attinet, fatetur Octauius Chriſtianis ineptas videri: & eos propterea in eo genere ethnicos imitari nolle. Tertullianus in libro de Corona (cap. XIII) ait, *a ſaeculo coronari & ipſas Libitinas*: & ipſe Cicero pro Flacco (cap. XXXI) meminit *aureae coronae impoſitae mortuo* cuidam *Caſtricio*. Verum quid antiquae leges Rom. de coronis cadauerum ſtatuerent, dixi ad Duodecim Tabb. Denique ridet & indignatur Caecilius, apud Chriſtianos *cadauera humari*, non *vri*. Verum eſt vetus illud, *Riſu inepto nihil eſt ineptius*. Quid Octauius? Simpliciter reſpondet, antiquam eſſe ſuam & meliorem ſepeliendi conſuetudinem. Quod & Arnobius reſpondit. Nam & poſt Minucium mota iterum haec quaeſtio eſt. Atqui Romani poterant ſui ſaltem Ciceronis librum ſecundum de Legibus (cap. XXII) legiſſe, qui hunc morem defendit & confirmat. Et Plinius lib. ſeptimo, cap. quinquageſimo quarto, *Ipſum*, inquit, *cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terra condebantur*. Sane Tertullianus de Corona (cap. XII) ait, Chriſtiano non licuiſſe cremare, & (ineunte) libro de Reſurr. carn. ridet eos, qui *atrociſſime*, vt ait, *exurunt defunctos*.

Porro Auguſtinus lib. vndecimo Confeſſ. ſignificat in eccleſia Oſtienſi peculiarem aliquem etiam fuiſſe morem humandorum corporum. An is quoque iam tum in vſu eſſet, quum ibi ageret Minu-

Minucius, nescio. Ridiculum vero, quod Cæcilius, seuerus scilicet censor, Christianos accusat, quia neque vnguentis delibuti, neque sertis redimiti essent. Mirum, quod interea non miratur, eos tamen vsos iam tum fuisse oleo & chrismate. Sane sobriam, siccam, frugalemque vitam, hoc est, ab vnguentis alienam, ipsi etiam ethnici laudare solebant: & Plato ex sua republica, quam optimam suo iudicio fingit, Homerum non eiicit nisi vnguento perfusum & vittis redimitum, &, vt hic noster Octauius ait *coronatum:* quum significaret sese habere nolle ciues tam molles. Ac ne longius abeam, Vespasianus quemdam vnguentis madentem, & gratias agentem pro impetrata præfectura, auersatus, *Mallem*, inquit, *allium oleres.* Sed quid non obiiceret Cæcilius, quum etiam Christianos accuset, quia flores naribus supponerent, nec capiti coronando imponerent. Atqui ipse Lucianus in suo Nigrino ipsos Romanos rectius irridet, quod Christianos hic non imitentur, & faciant contra naturam, planeque nihil aut sapiant, aut sentiant. Adde Tertull. de Cor. mil.

Ceterum Cæcilius, vt alter Lucianus in Peregrino, Christianos irridet, quod colant hominem crucifixum. Octauius breuiter negat hominem tantum esse, quem colant: & regerit, aduersarios potius esse ἀνθρωπολάτρας, qui reges tamquam deos colant, & per eorum etiam genium iurent: quin immo grauius puniant ita peierantem, quam si quis suum Iouem iurando sciens

fal-

falleret. Suſpicor hic notari quamdam conſtitutionem Alexandri Seueri: quæ tamen relata eſt in libros Iuris L. II. C. *de rebus credit.* Sane olim Chriſtianos noluiſſe vti tali formula iuriſiurandi, teſtis eſt Tertullianus in Apologetico. Sed tanto magis miror eam poſteriorum Cæſarum Chriſtianorum legibus commendari.

Cæcilius contumelioſe obiicit, Chriſtianos etiam *ipſam crucem adorare.* Negat Octauius. Adverſarius iis, vt furciferis, maledicit. Noſter (non enim eum pudet crucis Chriſtianæ) cruciferos ſuo modo dici non recuſat, & de ſuæ crucis ſigno religioſo, (quod certe maioribus olim noſtris familiare fuit) reſpondet, quod antea Iuſtinus & Tertullianus ſcripſerant, & poſtea Lactantius lib. IV cap. XXVII. Nam & quanti illud fecerit Conſtantinus, notum eſt: certe vt vulgo res minus eſſet ignominioſa, edixit, ne deinceps facinoroſi cruci adfigerentur. Non deſiit tamen Iulianus Apoſtata, vt Cæcilius, Chriſtianis ignominiæ cauſſa exprobrare crucis cultum, ſicuti ex Cyrillo intelligi poteſt.

Mira eſt impudentia calumniæ. Eo tandem euaſit, vt neſcio quæ ſacrorum monſtra Chriſtianis obiicerent aduerſarii, & *qualia demens* (vt quidam * poeta dixit) *Ægyptus portenta colit.* Audet etiam Cæcilius fingere, illos *adorare caput aſini.* quamquam primus hoc non finxerit. Octauius tam putidam calumniam inficiatione depellit, & id potius de aduerſariis vere dici poſſe, recriminando pro-

* Iuuenal. ſatyr. XV. ineunte.

probat, sequutus suum Tertullianum (Apolog. c.XVI) qui & Christianos vulgo dictos esse asinarios, & Christum ipsum auribus asininis tamquam aliquem Midam ab impio pictore expressum fuisse narrat. Talem autem confictam fabulam esse significat, quod Cornelius Tacitus mentiendo tale quippiam de Iudæis recitasset. Verum & ante Tacitum multis annis Apio Alexandrinus tempore Caligulæ in Iudæis accusauerat quamdam ὀνολατρείαν. Ceterum quum Iosephus tale mendacium iam refutasset, minus ignoscendum est Tacito, qui in eo perstat: minime vero illis, qui maiori etiam impudentia Christianis hoc probrum adspergunt.

Turpius est, quod Cæcilius eodem pudore clamitat, eos *colere nescio quæ pudenda.* Ecquo ruit impura maledicentia? Octauius suæ verecundiæ esse intelligit, id longiori oratione non refellere: interea audire cogitur, alia non minus nefanda, cum Cæcilius declamaret, nefarios esse Christianorum cœtus antelucanos, incesto & parricidio pollutos, prope vt olim erant Romæ Bacchanalia. Octauius talia crimina non solum abs suis depellit, sed etiam retorquet in aduersarios. Quam incesta essent Romanorum sacra, non est ignotum. Nam & eorum * poeta, *Nota Bonæ*, inquit, *secreta deæ.* Diu etiam humanas victimas immolarunt: etsi in aliis gentibus hanc, non iam dico sanctam, sed sanguinariam & sceleratam feritatem reprehenderent. Est autem memorabile, quod Plutarchus

* Iuuenalis Satyr. VI vers. 313.

tarchus in Problem. narrat, eos obtendisse ad hoc suum factum excusandum, aliorumque damnandum. Mirum vero, christianis sacris talia obiecta fuisse. Fuit tamen vetus & diuturna hæc calumnia: & quidem promiscuæ libidinis suspicionem facile augebat quorundam credulitas, qui alios ex suo ingenio æstimant, & nocturna promiscuæ multitudinis coitio, & quia Christiani sese fratres sororesque appellarent, atque etiam osculo sese inuicem exciperent. Quid dicam, osculo quosdam impudice abusos esse, vt & fatetur & conqueritur Clemens Alexandrinus *in Pædag.* Christiani satis multa castissimi sui pudoris testimonia opponebant. Sed nihil audit impudens maleuolentia, quæ vt linguam habet intemperantem, sic neque frontem neque aures habet. Sane & olim Apionem tale quippiam de Iudæorum cœtibus confinxisse narrat Iosephus. Ergo nihil nostris tali infamia oppressis aliud superfuit, quam, quod scite & eleganter Aeschylus ait, τὴν ἀλήθειαν ἀνατιθέναι τῷ χρόνῳ. Non erant impostores, qui verba darent: non homines clamosi & impotentes, qui conuiciis, maledictis, libellis famosis aduersarios vicissim opprimere vellent. Rebus ipsis falsum refellere, & eo tandem modo vincere sedendo & silendo malebant: & bona interea conscientia sese sustentabant atque consolabantur. Sic bonam caussam agebant bene.

Mirum rursus, Cæcilio tam insolentem visam esse illam inter eos *fraterni nominis communionem*, quum & ipse Vlpianus scripserit, eum, qui fraterna caritate diligitur, etsi frater non sit, recte tamen

FRATREM simpliciter appellari, quod & in libros Iuris relatum est, *L. quinquagesima octaua de hered. instit.* Quin immo & olim ipsos Essæos, ante tempora Christianorum, ita sese inuicem compellasse, didici ex quodam Philonis fragmento, quod exstat apud Eusebium περὶ προπαρασκευῆς (lib. VIII cap. XII)

Horribilius est alterum, quod obiiciebatur, *crimen infanticidii:* cœpitque hæc calumnia paullo post tempora Traiani, & ad Constantini ætatem perdurauit, & quidem cum tragica suspicione cuiusdam cœnæ Thyesteæ. Sed vnde hæc suspicio? an quia Christiani dicere solerent se vesci corpore & sanguine Christi? sicut e diuerso narrat Augustinus quosdam aliquando existimasse, ab Christianis adorari Cererem & Bacchum, quum audirent in eorum mysteriis tanti fieri panem & vinum: neque alioqui rem intelligerent. Quid dicam, quod Epiphanius * narrat, quosdam hæreticos, qui Gnostici & Cataphryges & Pepuziani appellabantur, se vero Christianos esse mentiebantur, commisisse, quod hic Cæcilius omnibus Christianis obiicit? Sed an æquum fuit, vt viris bonis propterea adfingeretur, quod ab iis erat alienissimum? Aduersarii loco probationis obtendebant famam & rumorem. Sed nullo quoque iure id fieri, leges ciuiles pro nostris respondebant. & ipse Quintilianus ** dixit, *nulli non etiam innocentissimo accidere posse fraude inimicorum, falsa vulgantium*, vt sinistro rumore laboret.

* Epiphanius Hæresi XLVIII sect. XIV, pag. 416.
** Quintilianus lib. V Inst. Orat. cap. III.

ret. Quam vero procul abessent Christiani ab omni homicidio, satis Octauius ostendit, quum ne homicidium quidem in ludis gladiatoriis spectare eos per suam religionem potuisse narrat. quod & antea Theophilus dixit *ad Autolycum;* & eodem tempore Athenagoras *in Apologia*, & latius Tertullianus in libro *de Spectac.* & postea Lactantius *lib.* VI *cap.* XX. Sed neque caesae pecudis sanguinem gustasse nostros Minucius adfirmat, sicuti & Tertullianus. Sic enim quam Apostoli repetitam Nohae legem rursus tulerant, multis saeculis nostri diligenter obseruarunt, non minus quam Apostolicum in eadem Synodo decretum περὶ πορνείας. Certe quam honestum, religiosum, pudicum, castumque fuerit Christianorum solemne conuiuium, quod ἀγάπην appellabant, Caecilius, si verum ingenue dicere, quam improbe mentiri maluisset, intelligere potuerat non solum ex Tertulliani nostri apologia, sed & sui Plinii quadam ad Traianum epistola. Sed petulantiam proiectae maledicentiae quid refrenare posset? Dixi de eo conuiuio plura in adnotationibus ad illam Epistolam, quae iam repetere nihil attinet. Vt vt autem nocturni Christianorum coetus innoxii essent, tamen obstabat lex duodecim Tabb. multis decretis confirmata, & grauia erant iudicia de collegiis illicitis. Nostri vero respondebant, nihil reipublicae esse periculi a suis coitionibus, quia essent alienissimi ab omni vel ambitione, vel vllius dignitatis cogi-

tatione, nihilque esset in republica quod adfectarent, sed sua essent priuata conditione contenti, vt Tertullianus in Apolog. respondet.

Ceterum vt iam prætercam reliqua capita vel accusationis Cæcilianæ, vel Octauianæ defensionis, illud obseruare iuuat: quum calumniator ingeniosus & acer nihil non vel confingat vel exaggeret, & maiestatis quædam leuiora crimina adiungat: præteriisse crimen perduellionis, quod & alii antea obiecerant, & ad reos statim opprimendos inprimis idoneum esse videbatur. An id dissimulauit, quia ne tenuis quidem eius esset suspicio? Fuit certe perpetua hæc maiorum nostrorum gloria, quod nullis iniuriis tam irritari potuerint, vt in principes aut tyrannos, etsi ab iis indignissime vexarentur, hostili animo essent, aut vllis adversus eos coniuratis conspirationibus (quæ tamen alioqui & speciosæ & frequentes tunc erant) adsentirentur: aut, quid sua patientia, tolerantia, modestia, continentia dignum esset, non meminissent. Tantum abest, vt essent aut turbulenti aut seditiosi, aut inmani cupiditate vltionis abriperentur. Nam etsi ea multitudine septi essent, vt facile possent conficere quod in hoc genere instituissent, tamen fas non esse putabant. Et vero suæ alioqui religionis & principia sustulissent, & fundamenta euertissent. Immo vero humanæ societatis vincula omnia dissoluissent. Quid multi etiam philosophi ambitiose prædicarent de tyrannicidis, notum

erat.

erat. Sed nostri talibus flabellis incendi se non patiebantur: tantum abest vt religionis nomine ad publicum parricidium incitarentur. Nihil est prætermissum quod eos inflammare posset, & furor fieri dicitur læsa sæpius patientia. Sed eos religio continuit, & ad inuictam modo patientiam armavit. Id vero, de quo etiam quæri hoc tempore audio & miror, perpetua plurium sæculorum historia nos alias confirmabimus. Illud modo breuiter attingam, quod Minucius dicere potuit, ac paullo ante eius ætatem accidit.

Tertullianus ad Scapulam, (cap. II) *Circa maiestatem*, inquit, *imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani vel Cassiani inueniri potuerunt Christiani.* Iuuat & alterum eiusdem Tertulliani locum, cuius memoriam veterem hisce temporibus renovari plurimum interest, adscribere. *Vnde*, inquit in Apolog. (cap. XXXV.) *& Cassii & Nigri & Albini? vnde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent? vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Parthenïis audaciores? De Romanis, nisi fallor, id est, de non Christianis.* Ne hunc quidem locum ex historia illustrare grauabor. Auidius Cassius, Syriæ legatus, adversus M. Antonium imperatorem surrexerat, quum prætexeret se rempublicam restituere atque conseruare velle, quam Marci dissoluta indulgentia pessumdaret. Christiani tamen, qui

in Marci exercitu aduersus Marcomannos tam frequentes fuerunt, Cassianæ factionis nulli fuerunt. Commodum, impurum tyrannum & nostris infestissimum, domi strangulari Romani curarunt, qui illi maxime erant familiares. An his Christianus vllus adfuit? Septimio Seuero, qui ad imperium gladiatorio animo viam adfectabat, sese opposuit Pescennius Niger in Syria, & deinde Clodius Albinus in Britannia Galliaque, quum vterque tam bono iure armatus, quam Seuerus, sibi esse videretur. Nam & ipse Tertullianus in libro de Pallio (cap. II) hosce non minus, quam Seuerum, AVGVSTOS aliquando agnouit atque appellauit. Christiani tamen in eorum vel exercitu, vel factione nulli inuenti sunt. Plautianus, qui Principi proximus erat, & post eum maximæ auctoritatis, vt Seuerus & Caracalla, a quibus fiebant multa crudeliter, iugularentur, immittit in curiam suum præfectum, & eodem paullo post irrumpit. An Plautianum Christiani sequuti sunt, quorum interesse videbatur tyrannos illos tolli? immo vero potius Seuerum iam decumbentem illi suo etiam oleo curarunt sanaruntque, vt testis est Tertullianus ad Scapulam, vbi & solemnes ecclesiæ preces pro Principibus commemorat. Tum addit: *Ex regula patientiæ diuinæ agere nos satis manifestum est, quum tanta hominum multitudo, pars pæne maior ciuitatis cuiusque, in silentio & modestia agimus. Absit enim, vt indigne feramus ea nos*

nos pati, quæ optamus: aut vltionem a nobis aliquam machinemur, quam a Deo exſpectamus? Non diſſimilia ſunt, quæ repetit in Agologetico, & digna ſunt, quæ his quoque temporibus inculcentur. Certe ait, Chriſtianos facile * *paucis faculis vel vna nocte* potuiſſe ſeſe vlciſci, ſi aut fuisſent, aut eſſe voluiſſent (quod tamen iam a temporibus Neronis dicebantur) incendiarii. *Sed abſit*, inquit, *vt aut igni humano vindicetur diuina ſecta; aut doleat pati, in quo probatur.* Ait, illis, ſi aperte agere, & vim vi repellere voluiſſent, minime defuiſſe *vim numerorum & copiarum.* Sed, inquit, *apud iſtam diſciplinam magis occidi licet, quam occidere.* Ait, illos etiam ſine armis potuisſe vincere ſecedendo, & vacuum Romanis ſuum orbem relinquendo, ſi alio migrare voluiſſent. Tum enim defuiſſent quibus imperaſſet Romanus imperator. Adeo pauci ſupererant, qui non eſſent Chriſtiani. Sed noſtros & ciues manere voluiſſe, & ad hoſtes Romanorum tranſire noluiſſe ſignificat, & interea tamen a Romanis appellatos eſſe non hoſtes modo, ſed & principum & humani generis hoſtes. Cæterum tam iniuſta & aperta fuit hæc iniuria, vt ipſos tandem hoſtes Chriſtianorum puduerit tam & ingrate agere, & loqui impudenter.

 Ergo

* Tertullianus Apolog. cap. XXXVII *vel vna nox paucu-lis faculis largiter vltionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret.* Mentem Balduinus magis, quam verba Tertulliani expreſſit: at in mox ſequentibus, ipſa verba ex eodem loco Apologetico.

Ergo Cæcilius quantumuis esset impudens, erubuit iis aliquod perduellionis crimen adfingere. Quiduis aliud obiicere, carpere, mentiri, calumniari maluit. Sed neque Christianis adscribit caussam publicarum calamitatum: quod tamen eo tempore alii aduersarii odiose facere imprimis solebant. Tristissima sane ætate Minucii erat facies Romani imperii, horribilisque dilaceratio atque confusio. Quid dicam genus omne malorum tunc inundasse? orbemque & concussum & permixtum bellis, incendiis, inundationibus, terræ motu, ciuitatum ruinis, gentium regnorumque excidiis, denique confectum & fame & peste publica? Non committit tamen Cæcilius, vt (quod vulgus tunc clamitabat, & ante postque multis sæculis iactatum est) calumniaretur, Christianis totum illud chaos acceptum ferri debere, eorumque sanguine esse expiandum. Ante Minucii ætatem Tertullianus, *Si* inquit * *Tiberis adscendit in arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim* CHRISTIANOS AD LEONEM, acclamatur. Non minus odiosa & immanis erat acclamatio tempore Cypriani, vt ex huius ad Demetrianum epistola satis apparet. Eadem & tempore Arnobii. Nam & hic in suis aduersus gentes libris laborat, vt hac publici odii & inuidiæ flamma nostros liberet. Quid ipse postea Symmachus? nonne audet talem rursus canti-

* Desunt quædam ex Tertulliani Apolog. cap. XL ita supplenda: *Si Tiberis adscendit ad mœnia, si Nilus non adscendit in arua, si cælum stetit*, & sic reliqua.

cantilenam canere? Certe dignus erat, qui audiret, quod aliquando Romæ post mortem Commodi acclamatum est, *DELATORES AD LEONEM. Sed nostri ab sanguine & vltionis cupiditate erant alieni. Ambrosius non passus est eum in crimine tam falso diutius exsultare. Sed quum non multo post vrbs ipsa capta atque direpta fuisset, non erubuerunt impii calumniatores talem postremo cladem religioni Christianæ adscribere: coactusque est rursus Augustinus tam tetræ maledicentiæ occurrere. Nam & propterea se suos *de ciuitate Dei* libros scripsisse fatetur. Agit ergo minus malitiose Cæcilius, qui aliorum exemplo talem facem in nostros non contorquet, neque eorum innocentiam tam indigne onerat. Immo vero iis, vt miseris, vt victis, vt seruis, ipse tanquam magnis victoriis elatus, & summa felicitate cumulatus, superbe insultat: & hoc nomine tam illorum religionem fastidiose deprimit, quam suam gloriose attollit superstitionem. Sic enim profani homines ex fortuna & rerum successu pendent. Sic ipse Cicero pro Flacco contumeliose exagitat Iudæorum & gentem & sacra. Sed & Apionem Iudæis seruitutem & ærumnas, tamquam falsæ religionis testimonia, confidenter obiecisse, ex Iosepho intelligimus. Mirum vero, post tempora quoque Constantini, Iulianum imperatorem nostros eadem ratione impetiisse, sicuti ex Cyrilli responsionibus cognoscimus.

* Lampridius Vita Commodi cap. XVIII & hanc & similes acclamationes prodidit.

Quanto id magis potuit Cæcilius, qui Christianos, nisi adflictos, miseros, pauperes, nullos viderat? Itaque magno supercilio & fastu & contemptu in eos despuit, & tanquam καθάρματα ϰ περιψήματα (vtor Apostoli verbis) proculcat. Sed Thrasonicos eius spiritus altiori animo despicit Octauius, iisque sanctam quandam superbiam opponit, qua & in paupertate diuites, & in seruitute liberi, & in media denique morte victores essent nostri. Vt vt autem Cæcilius initio despumans, & intemperanter conuicia profunderet, & minas efflaret, & ampullas horribiles proiiceret, denique Christo insultaret: tamen veris victus paullo post cedit: neque arbitri iudicisque Minucii sententiam exspectat, sed vltro illi occurrit. Admirabilis profecto conuersio, præsertim tam repentina. Sed ea ostendit sanabiles multos Romæ fuisse, qui videbantur alioqui depositi & deplorati: veritati vero errorem facile cedere. Ergo Cæcilius quadam veluti in iure cessione Octauio vindicanti addici poterat. Certe vinci dedique non recusat, & Octauianæ orationis quodam quasi fulmine perculsus, tamquam alter quidam Paulus, subito religionem, quam ignorans oppugnauerat, admonitus complectitur.

Vellem autem, Minucius nobis quoque exposuisset totam huiusce μετανοίας historiam: vt & qua lege, qua conditione, quibus sponsoribus, quo ritu, qua cærimonia, Cæcilius Romam reuersus, in ecclesiæ collegium & communionem cooptatus fuerit,

fuerit, intelligeremus. Nam & antiqui illius moris memoria expetenda eſt. Sed quod Hieronymus ad Chronica Euſebii, & Auguſtinus lib. VIII Confesſion. (cap. II) narrant de duobus aliis eiusdem & conditionis, & ordinis, & gentis, & ingenii viris, Arnobio & Victorino: cogitemus factum quoque eſſe de Cæcilio. Immo vero hic Cæcilius fatetur, ſeſe poſteaquam intellexit, quid non ſit vera religio, deſiderare intelligentiam, cognitionem, inſtitutionem religionis veræ. eam vero catecheſin in diem ſequentem fuiſſe reiectam Minucius ſcribit. Sed tanto magis doleo, alteram hanc ſcholam, quæ Minuciani libri optima & maxima pars fuiſſet, non editam eſſe: ſaltem non exſtare. Nam neque ſatis eſt falſum refellere, verum etiam docere oportet: vt & quid non ſit, & quid ſit Deus aut religio, exponatur. Sed bene habet: quod hic deſideramus, ſarcire poteſt Auguſtini liber *de Catechizandis rudibus*, qui & leges & formulam veteris catecheſeos eleganter deſcribit: & quomodo ſit agendum cum doctis & litteratis, etiam monet: neque diſſimilem Minucii ætate credo catecheſin fuiſſe, & his quoque temporibus non obſeruari miror. Iuuat autem, vt Cæcilium audiuimus accuſatorem & aduerſarium, nunc rebus conuerſis ſpectare catechumenum. Catechumeni tunc etiam appellabantur *auditores*, vel *audientes*, ſicuti ex multis Tertulliani locis apparet: erantque inprimis dociles, minimeque refractarii: quod & ipſe

Lucia-

Lucianus *in Philopat.* indicat. Contentiosæ itaque disputationes nullæ cum iis erant: sed placidis monitionibus religio docebatur. Post catechesin qui iam sua nomina Ecclesiæ dederant, vt baptismo initiarentur, appellati sunt *competentes:* eorumque rursus in ordine Cæcilium iam nostrum conspicere iuuat. Post baptismum candidatus denique particeps fiebat τῶν μυστηρίων, a quibus antea procul abesse iubebatur. Neque sane de iis, aut promiscue disputare, aut coram profanis hominibus differere, maiores nostri solebant. Testis est Theodor. * in Eran. Nam illa religiosius atque adeo timidius tractanda esse sentiebant: & quorsum alioqui res euaderet, longe prospiciebant. Itaque licet, quum accusarentur eorum συνάξεις, magna caussa esse videretur, cur exponere deberent quidquid in iis ageretur; tamen de mysteriis nihil dicunt in foro, neque de iis cum aduersariis aut contendunt aut litigant.

Atque hæc quidem hactenus breuiter præmonere visum fuit, vt ad Octauii Minuciani lectionem viam veluti præmunirem, quæ & Christianarum antiquitatum memoriam nobis commendet, & ad eam renouandam nos excitet, qui & alioqui Roma-

* Theodoritus, Cyrenensis episcopus, in dialogis, quibus *Eranistæ* nomen dat, Dialogo II pag. 159 *ed. Lipſ.* ita Orthodoxum inducit Eranistæ, de S. eucharistia interroganti, respondentem: οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι. *Non decet aperte loqui: fortassis adsunt mysteriis nondum initiati.* Refert Eranistes: αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω, *Proponatur ergo in forma ænigmatis responsio.*

Romanas tanto ſtudio perſequimur. Atque vtinam qui Romæ ſunt docti homines, & nullum non etiam lapidem reuoluunt, nullamque non in ipſis lapidibus litteram obſeruant, vt antiquæ reipublicæ aliquid eruant: veteris quoque eccleſiæ monimenta (quibus eadem vrbs abundat) colligerent, pluresque qui in ea & vixerunt, & ſepulti ſunt, Minucios excitarent. Satis iam, ſatis eſt nouorum de religione libellorum. Veteribus potius in lucem reuocandis huius generis reliquiis operam demus: & ſimus aliquando doctæ antiquitatis potius, quam inanis nouitatis ſtudioſi: maiorumque noſtrorum imagines & intueamur, & aliis, ne noui homines eſſe forte videamur, oſtentemus. Neque tamen, etſi eadem eorum religio animuſque idem fuerit, eadem quoque ſemper facies fuit, idemue ſtatus. Non enim ſemper vexati abiectique iacuerunt, neque tam aut ingrati aut inepti fuerunt, vt optimo iure optimaque conditione eſſe recuſarint, quum hoc iis licuit per principes Chriſtianos: neque tam fatui, vt hoc beneficio non vterentur: neque tam iniqui, vt ſi quid in ſuis imperatoribus deſiderarent, paganorum (vt loquimur) tyrannorum loco eos haberent: neque tam moroſi, vt publicæ tranquillitati nihil quidquam condonarent. Loquor de iis, qui non fuerunt degeneres. Sed liberæ eccleſiæ ſplendorem non vidit Minucius: ſeruientis modo ſqualorem vidit. Noſtrum vero eſt, vtrumque ſtatum & vtriuſque temporis conditionem

nem recte considerare atque discernere: & hoc externæ, vt ita loquar, formæ temporumque discrimen prudenter obseruare, vt & antiquitatis memoria, & maiorum nostrorum exemplis recte vtamur. Hic enim & prudentia magna & cautione maxima opus esse fateor: & quum lex noua rogatur, fertur sæpe illud VTI ROGAS, sæpius istud ANTIQVO, nobis vt currat atque placeat, necesse est, resque postulat. Insculptum Romæ in veteri marmore esse dicitur, CANDIDA FVLVO NOBILIOR AVRO FELIX ANTIQVITAS. Sed eius præiudiciis infeliciter abuteremur, nisi liberum integrumque iudicium in iis discernendis atque diligendis adhibeamus: ne vel confuse omnia misceamus, vel malitiose prætereamus quæ imitari nos oportet, vel etiam, quæ huic ætati non conueniunt, intemperanter vrgeamus. Quum olim de testamentis ageretur, lex quædam ciuilis respondit, *retinendum esse morem fidelissimæ vetustatis*. L. XVIII Cod. *de testam.* Quumque de finibus & ordine gubernationis ecclesiasticæ quæreretur, audita in Niceno concilio est illa vox ΤΑ ΑΡΧΑΙΑ ΕΘΗ ΚΡΑΤΕΙΤΩ. Nulla tamen fuit superstitio, quæ intemperanter atque impotenter vrgeret, quod reipublicæ salus repudiaret. Et vt sapientes iurisconsulti, vbi de magistratuum iure quæstio esset, grauiter respondebant, non solum spectandum esse, quid Romæ factum sit, sed etiam quid fieri debeat. Lege duodecima *de offic. Præs.* Sic etiam spectare debemus non solum

quid

quid maiores nostri fecerint, sed & quo tempore, & qua conditione, quaue fini: neque non meminisse quoque oportet, quod lex quædam monet, non tam exemplis quam legibus iudicandum esse. Ergo facio perlubenter, vt & iurisprudentiam & historiam coniunctim aut colam, aut saltem colendam esse sæpe profitear: & quidem vtramque in vtroque genere, humanarum dico & diuinarum rerum, siue ciuilium & ecclesiasticarum. Nam & earum intelligentia atque memoria talem horum studiorum coniunctionem requirit: vt si Tiberius imperator recte iudicauit, militarem disciplinam (quod ait * Suetonius) ex antiquitate esse repetendam: nos multo magis sentiamus rectiusque dicamus, ciuilem & ecclesiasticam bona fide iudicioque bono inde repeti debere. Interea vero, quia varie & periculose hic errari posse sentio, iterum iterumque obtestabor omnes bonos & cordatos, vt a factionibus auersi, & a studio partium alieni, primum vetustati tantum auctoritatis tribuant, quantum illi debetur: deinde placide cogitent atque obseruent non solum quid veteres Christiani, tempore Minucii, facerent, quum aliud non possent: sed & quid optarent & vbi possent, faciundum esse statuerent: & vero quid tandem, quum liberi fuerunt, fecerint, vt & rempublicam & ecclesiam recte constituerent.

APPEN-

* Suetonius Tiber. cap. XIX *Disciplinam acerrime exegit, animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis.*

APPENDIX OBSERVATORVM IACOBI PERIZONII, V. C. IN MINVCIO FELICE, EX EPISTOLA AD CHRISTOPHORVM CELLARIVM.

* Quod ferius adlatæ litteræ fuerunt, quum Minucius iam exſcriptus eſſet, ſub finem adponere viſum fuit, quæ vir clariſſimus adnotauit.

Minucii, *inquit*, Felicis, quem editioni te etiam parare ais, dum margines perluſtro, reperi paucula quædam, quæ tuo volui ſubmiſſa iudicio.

Pag. 6 edit. Lugd. Ouzelianæ (noſtræ cap. VI ſect. I) *Meruerunt deos vel faciles habere vel reges.* Putem legendum, *vel patres habere* &c. Notum eſt, quod memorentur inter primos Græciæ homines vel heroas, Iouis aliorumque deorum filii.

Pag. 17 (noſtræ edit. cap. XVII ſect. 12) legerim: *Quid loquar apte diſpoſita, erecta montium*, non *recta*, quod minus recte in editis videtur poni.

Pag. 18 (noſtræ cap. XVIII ſect. 6) diſtinxerim: *Omitto Perſas de equorum hinnitu augurantes principatum, & Thebanorum par mortuum. Fabulam tranſeo: ob paſtorum* &c. Nam ſequitur *hiſtoria*, *fabula* oppoſita.

Pag. 23

Pag. 23 (nostræ ed. cap. XXI sect. 15,) *& quum Feretrius non auditur.* Malim, *pompa aditur.* de quo egi in Animaduersionibus Historicis pag. 248, 249.

Pag. 27 (nostræ cap. XXIV sect. 6) *Quomodo Deum violat, qui hoc modo placat?* Excidit haud dubie *non* post *quomodo*, siue per librarios siue per typographos.

Pag. 28 (nostræ cap. XXV sect. 7) *& quos post cladem detriumphatos colere cœperunt.* Mallem, si qui fauerent MSti, qui longius abeunt, *& quos post cladem demum triumphatos.*

ibidem (cap. XXV sect. 10) *nunc Diana Taurica.* Lego, *vel Diana Taur.*

Pag. 35 (cap. XXXI sect. 3) *in filios inerrare.* Melius, *in filias.*

Pag. 40 (cap. XXXVI sect. 5) *Et hæc nobis tamen nata sunt, quæ omnia, si non concupiscimus, possidemus.* Multo erit concinnior sententia si legas, *qui omnia* &c.

INDEX II
RERVM MEMORABILIVM

Littera C ad Cypriani librum; B ad Francisci Balduini, vt supra, remittit.

Casto-

INDEX II RERVM

 diui-

Quanto id magis potuit Cæcilius, qui Chriſtianos, niſi adflictos, miſeros, pauperes, nullos viderat? Itaque magno ſupercilio & faſtu & contemptu in eos deſpuit, & tanquam καθάρματα ϗ περιψήματα (vtor Apoſtoli verbis) proculcat. Sed Thraſonicos eius ſpiritus altiori animo deſpicit Octauius, iisque ſanctam quandam ſuperbiam opponit, qua & in paupertate diuites, & in ſeruitute liberi, & in media denique morte victores eſſent noſtri. Vt vt autem Cæcilius initio deſpumans, & intemperanter conuicia profunderet, & minas efflaret, & ampullas horribiles proiiceret, denique Chriſto inſultaret: tamen veris victus paullo poſt cedit: neque arbitri iudicisque Minucii ſententiam exſpectat, ſed vltro illi occurrit. Admirabilis profecto conuerſio, præſertim tam repentina. Sed ea oſtendit ſanabiles multos Romæ fuiſſe, qui videbantur alioqui depoſiti & deplorati: veritati vero errorem facile cedere. Ergo Cæcilius quadam veluti in iure ceſſione Octauio vindicanti addici poterat. Certe vinci dedique non recuſat, & Octauianæ orationis quodam quaſi fulmine perculſus, tamquam alter quidam Paulus, ſubito religionem, quam ignorans oppugnauerat, admonitus complectitur.

Vellem autem, Minucius nobis quoque expoſuiſſet totam huiusce μετανοίας hiſtoriam: vt & qua lege, qua conditione, quibus ſponſoribus, quo ritu, qua cærimonia, Cæcilius Romam reuerſus, in eccleſiæ collegium & communionem cooptatus

fuerit,

fuerit, intelligeremus. Nam & antiqui illius moris memoria expetenda eſt. Sed quod Hieronymus ad Chronica Euſebii,& Auguſtinus lib.VIII Confesſion. (cap. II) narrant de duobus aliis eiusdem & conditionis, & ordinis, & gentis, & ingenii viris, Arnobio & Victorino: cogitemus factum quoque eſſe de Cæcilio. Immo vero hic Cæcilius fatetur, ſeſe poſteaquam intellexit, quid non ſit vera religio, deſiderare intelligentiam,cognitionem, inſtitutionem religionis veræ. eam vero catecheſin in diem ſequentem fuiſſe reiectam Minucius ſcribit. Sed tanto magis doleo, alteram hanc ſcholam, quæ Minuciani libri optima & maxima pars fuiſſet, non editam eſſe: ſaltem non exſtare. Nam neque ſatis eſt falſum refellere, verum etiam docere oportet: vt & quid non ſit, & quid ſit Deus aut religio, exponatur. Sed bene habet: quod hic deſideramus, ſarcire poteſt Auguſtini liber *de Catechizandis rudibus*, qui & leges & formulam veteris catecheſeos eleganter deſcribit: & quomodo ſit agendum cum doctis & litteratis, etiam monet: neque diſſimilem Minucii ætate credo catecheſin fuiſſe, & his quoque temporibus non obſeruari miror. Iuuat autem, vt Cæcilium audiuimus accuſatorem & aduerſarium, nunc rebus conuerſis ſpectare catechumenum. Catechumeni tunc etiam appellabantur *auditores*, vel *audientes*, ſicuti ex multis Tertulliani locis apparet: erantque inprimis dociles, minimeque refractarii: quod & ipſe Lucia-

Lucianus *in Philopat.* indicat. Contentiosæ itaque disputationes nullæ cum iis erant: sed placidis monitionibus religio docebatur. Post catechesin qui iam sua nomina Ecclesiæ dederant, vt baptismo initiarentur, appellati sunt *competentes:* eorumque rursus in ordine Cæcilium iam nostrum conspicere iuuat. Post baptismum candidatus denique particeps fiebat τῶν μυστηρίων, a quibus antea procul abesse iubebatur. Neque sane de iis, aut promiscue disputare, aut coram profanis hominibus disserere, maiores nostri solebant. Testis est Theodor. * in Eran. Nam illa religiosius atque adeo timidius tractanda esse sentiebant: & quorsum alioqui res euaderet, longe prospiciebant. Itaque licet, quum accusarentur eorum συνάξεις, magna caussa esse videretur, cur exponere deberent quidquid in iis ageretur; tamen de mysteriis nihil dicunt in foro, neque de iis cum aduersariis aut contendunt aut litigant.

Atque hæc quidem hactenus breuiter præmonere visum fuit, vt ad Octauii Minuciani lectionem viam veluti præmunirem, quæ & Christianarum antiquitatum memoriam nobis commendet, & ad eam renouandam nos excitet, qui & alioqui Roma-

* Theodoritus, Cyrenensis episcopus, in dialogis, quibus *Eranistæ* nomen dat, Dialogo II pag. 159 *ed. Lips.* ita Orthodoxum inducit Eranistæ, de S. eucharistia interroganti, respondentem: οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι. *Non decet aperte loqui: fortassis adsunt mysteriis nondum initiati.* Refert Eranistes: αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω, *Proponatur ergo in forma ænigmatis responsio.*

Romanas tanto ſtudio perſequimur. Atque vtinam qui Romæ ſunt docti homines, & nullum non etiam lapidem reuoluunt, nullamque non in ipſis lapidibus litteram obſeruant, vt antiquæ reipublicæ aliquid eruant: veteris quoque eccleſiæ monimenta (quibus eadem vrbs abundat) colligerent, pluresque qui in ea & vixerunt, & ſepulti ſunt, Minucios excitarent. Satis iam, ſatis eſt nouorum de religione libellorum. Veteribus potius in lucem reuocandis huius generis reliquiis operam demus: & ſimus aliquando doctæ antiquitatis potius, quam inanis nouitatis ſtudioſi: maiorumque noſtrorum imagines & intueamur, & aliis, ne noui homines eſſe forte videamur, oſtentemus. Neque tamen, etſi eadem eorum religio animuſque idem fuerit, eadem quoque ſemper facies fuit, idemue ſtatus. Non enim ſemper vexati abiectique iacuerunt, neque tam aut ingrati aut inepti fuerunt, vt optimo iure optimaque conditione eſſe recuſarint, quum hoc iis licuit per principes Chriſtianos: neque tam fatui, vt hoc beneficio non vterentur: neque tam iniqui, vt ſi quid in ſuis imperatoribus deſiderarent, paganorum (vt loquimur) tyrannorum loco eos haberent: neque tam moroſi, vt publicæ tranquillitati nihil quidquam condonarent. Loquor de iis, qui non fuerunt degeneres. Sed liberæ eccleſiæ ſplendorem non vidit Minucius: ſeruientis modo ſqualorem vidit. Noſtrum vero eſt, vtrumque ſtatum & vtriuſque temporis conditionem

uem recte considerare atque discernere: & hoc externæ, vt ita loquar, formæ temporumque discrimen prudenter obseruare, vt & antiquitatis memoria, & maiorum nostrorum exemplis recte vtamur. Hic enim & prudentia magna & cautione maxima opus esse fateor: & quum lex noua rogatur, fertur sæpe illud VTI ROGAS, sæpius istud ANTIQVO, nobis vt currat atque placeat, necesse est, resque postulat. Insculptum Romæ in veteri marmore esse dicitur, CANDIDA FVLVO NOBILIOR AVRO FELIX ANTIQVITAS. Sed eius præiudiciis infeliciter abuteremur, nisi liberum integrumque iudicium in iis discernendis atque diligendis adhibeamus: ne vel confuse omnia misceamus, vel malitiose prætereamus quæ imitari nos oportet, vel etiam, quæ huic ætati non conueniunt, intemperanter vrgeamus. Quum olim de testamentis ageretur, lex quædam ciuilis respondit, *retinendum esse morem fidelissimæ vetustatis.* L. XVIII Cod. *de testam.* Quumque de finibus & ordine gubernationis ecclesiasticæ quæreretur, audita in Niceno concilio est illa vox ΤΑ ΑΡΧΑΙΑ ΕΘΗ ΚΡΑΤΕΙΤΩ. Nulla tamen fuit superstitio, quæ intemperanter atque impotenter vrgeret, quod reipublicæ salus repudiaret. Et vt sapientes iurisconsulti, vbi de magistratuum iure quæstio esset, grauiter respondebant, non solum spectandum esse, quid Romæ factum sit, sed etiam quid fieri debeat. Lege duodecima *de offic. Præs.* Sic etiam spectare debemus non solum quid

quid maiores nostri fecerint, sed & quo tempore, & qua conditione, quaue fini: neque non meminisse quoque oportet, quod lex quædam monet, non tam exemplis quam legibus iudicandum esse. Ergo facio perlubenter, vt & iurisprudentiam & historiam coniunctim aut colam, aut saltem colendam esse sæpe profitear: & quidem vtramque in vtroque genere, humanarum dico & diuinarum rerum, siue ciuilium & ecclesiasticarum. Nam & earum intelligentia atque memoria talem horum studiorum coniunctionem requirit: vt si Tiberius imperator recte iudicauit, militarem disciplinam (quod ait * Suetonius) ex antiquitate esse repetendam: nos multo magis sentiamus rectiusque dicamus, ciuilem & ecclesiasticam bona fide iudicioque bono inde repeti debere. Interea vero, quia varie & periculose hic errari posse sentio, iterum iterumque obtestabor omnes bonos & cordatos, vt a factionibus auersi, & a studio partium alieni, primum vetustati tantum auctoritatis tribuant, quantum illi debetur: deinde placide cogitent atque obseruent non solum quid veteres Christiani, tempore Minucii, facerent, quum aliud non possent: sed & quid optarent & vbi possent, faciundum esse statuerent: & vero quid tandem, quum liberi fuerunt, fecerint, vt & rempublicam & ecclesiam recte constituerent.

APPEN-

* Suetonius Tiber. cap. XIX *Disciplinam acerrime exegit, animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis.*

APPENDIX
OBSERVATORVM
IACOBI PERIZONII, V. C.
IN
MINVCIO FELICE,
EX EPISTOLA
AD
CHRISTOPHORVM CELLARIVM.

* Quod serius adlatæ litteræ fuerunt, quum Minucius iam exscriptus esset, sub finem adponere visum fuit, quæ vir clarissimus adnotauit.

Minucii, *inquit*, Felicis, quem editioni te etiam parare ais, dum margines perlustro, reperi paucula quædam, quæ tuo volui submissa iudicio.

Pag. 6 edit. Lugd. Ouzelianæ (nostræ cap. VI sect. II) *Meruerunt deos vel faciles habere vel reges.* Putem legendum, *vel patres habere* &c. Notum est, quod memorentur inter primos Græciæ homines vel heroas, Iouis aliorumque deorum filii.

Pag. 17 (nostræ edit. cap. XVII sect. 12) legerim: *Quid loquar apte dispofita, erecta montium*, non *recta*, quod minus recte in editis videtur poni.

Pag. 18 (nostræ cap. XVIII sect. 6) distinxerim: *Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum, & Thebanorum par mortuum. Fabulam transeo: ob pastorum* &c. Nam sequitur *historia*, *fabulæ* opposita.

Pag. 23

Pag. 23 (nostræ ed. cap. XXI sect. 15,) *& quum Feretrius non auditur.* Malim, *pompa aditur.* de quo egi in Animaduersionibus Historicis pag. 248, 249.

Pag. 27 (nostræ cap. XXIV sect. 6) *Quomodo Deum violat, qui hoc modo placat?* Excidit haud dubie *non* post *quomodo*, siue per librarios siue per typographos.

Pag. 28 (nostræ cap. XXV sect. 7) *& quos post cladem detriumphatos colere cœperunt.* Mallem, si qui fauerent MSti, qui longius abeunt, *& quos post cladem demum triumphatos.*

ibidem (cap. XXV sect. 10) *nunc Diana Taurica.* Lego, *vel Diana Taur.*

Pag. 35 (cap. XXXI sect. 3) *in filios inerrare.* Melius, *in filias.*

Pag. 40 (cap. XXXVI sect. 5) *Et hæc nobis tamen nata sunt, quæ omnia, si non concupiscimus, possidemus.* Multo erit concinnior sententia si legas, *qui omnia* &c.

210

INDEX I

AVCTORVM A MINVCIO & in Dissertatione Fr. Balduini adlegatorum.

* *Prior numerus Caput Minucii; posterior sectionem minorem significat.* *Littera* B *cum numero, paginam Dissertationis Balduini.*

Lactan-

INDEX II
RERVM MEMORABILIVM

Littera C ad Cypriani librum; B ad Francisci Balduini, vt supra, remittit.

Casto-

INDEX II RERVM

incesta

Martis

Persa-

INDEX II RERVM

ſepul-

vnita-

INDEX III VERBORVM ET FORMVLARVM.

Bacchar.

deuerere

gen-

nati-

pro-

vela-

LATINITATIS

F I N I S.



***

Vt ſpacium compleatur, iudicia de ſtylo & ætate Minucii Felicis, virorum auctoritate pollentium adiungimus.

IVDICIVM
viri ſummo ingenio & doctrina
IO. FRIDERICI GRONOVII
ex cap. VII Obſeruatorum in
Scriptoribus eccleſiaſticis:

Minucius Felix dialogum contra paganos ſcripſit, lactea ſermonis vbertate Lactantio nihil cedentem; mirabili vbique perſpicuitate, etiam in acute dictis. nihil argutiarum obſcuritate moleſtarum, nihil intempeſtiua eruditionis oſtentatione inſolens aut arceſſitum; nihil verborum nouitate, aut transferendi improbitate, aut compoſitionis ſcabitudine durum, horrens, abruptum. Omnia certe eius, in quibus quomodo legendum ſit, non ambigigitur, has habent virtutes. Argumentum ingens, illa quoque, quæ labem contraxerunt, ita eſſe curanda, vt non in Minucio Minucium quæras; Tertullianum, aut quemuis duriſſimum Afrorum inuenias.

IVDI-

IVDICIVM
GVILIELMI CAVE, V. C.
de
AETATE MINVCII FELICIS
ex Scriptorum ecclesiasticorum
Historia litteraria:

De ætate Minucii, qua vixit, nil habeo, quod pro certo adfirmare ausim: si tamen in re obscura dubiaque hariolari liceat, coniiciam illum, vtpote Tertulliano supparem, Cypriano antiquiorem, circa annum Christianum CCXX *claruisse.*



C8